527451

DE FIDELITATE VASALLATICA,

THEOREMATA

THEORICO-PRACTICA,

QUÆ

SVB DIRECTORIO AC PRÆSIDIO SVMMI DOMINI DOMINANTIUM,

IN

ALMA INCLYTAE REIPVBLICAE ARGENTORATENſIS ſtudiorum Vniverſitate,

DECRETO ET AVTHORITATE MAGNIFICI & Ampliſſimi ICtorum ordinis,

DOCTORALIUM IN UTROQUE JURE Honorum, inſignium ac privilegiorum, ſolenniter obtinendorum, gratiâ

Publico & placido examini ſubmittit

Ad diem 15. Septembr.

IOHANNES BERCHLMAN
BERLINO-MARCHICUS.

Biblioteca Nazionale NAPOLI

ARGENTORATI,
EXCUDEBAT PAULUS LEDERTZ.
Anno M. DC. XXVII.

Digitized by Google

ADMODVM REVERENDIS
GENEROSISSIMIS
GENEROSIS
STRENVIS
NOBILISSIMIS
AMPLISSIMIS
PRVDENTISSIMIS

ELECTORALIS
BRANDEBVRGICÆ
MARCHIÆ

VETERIS
MEDIÆ
PRIGNITIÆ
RVPPINÆ
ET
AD UCARVM

STATIBVS

DOMINIS MEIS CLEMENTIBVS
GRATIOSIS ET BENIGNIS
HÆC THEOREMATA
HVMILIMO DEVOTOQ;
ADFECTV.
L. M. Q.
CONSECRO

JOHANNES BERCHLMAN.

Digitized by Google

Digitized by Google

QUOD FELIX FAUSTUMQUE ESSE VELIT

SS. IN MONADE TRIAS.

Præloquium.

ETſi JCto Gajo teſte in *l. 2. de O. I.* præfationes ad lectionem propoſitæ materiæ libentius nos producant, & cum ibi venerimus, evidentiorem præſtent intellectum; unde & videmus omnes juris Interpp. antequam ad pleniorem materiæ alicuius tractationem pervenerint, de utilitate & neceſſitate eius aliquid præfari: Attamen nimis prolixam FIDELITATIS VASALLATICÆ inſtituere commendationem, non ſolum non neceſſarium, ſed nullius ferè momenti eſſe, quilibet etiam, qui primis, quod dicitur, labris jura feudalia deguſtavit, facillimè mecum conſentiet. Etenim de hac verè dici poteſt, quod JCtus Ulpianus de in integrum reſtitutione aſſeverat. *in l. 1. ff. de integ. reſt.* non egere hanc commendatione, utpote quæ ſe ipſam ſatis oſtendat. Præterquam enim quod Feudum à fide ſit adpellatum, & inde eſſentiam ſuam habeat, ut Dd. communiter ſentiunt. per. *c. 1. §. nulla. per quos fiat inveſt. 2. F. 3.* Alvarott. *proœm. Feud. col. 6. verſ. quæritur.* Bald. *in prælud. Feud. col. 5. verſ. ſecundo quæro.* Obrecht. *tract. Feud. lib. 2. c. 10. n. 4.* feudi etiam forma ſpecifica in fidelitate conſiſtit, ſine qua nec feudum eſſe nec intelligi poteſt *d. c. 1. 2. F. 3.* Weſenb. *tract. feud. c. 18. num. 19.* Idque adeo verum eſt, ut inveſtitura & fidelitatis præſtatio rem arguant eſſe feudalem. *c. 1. de feud. cognit. 2. F. 1. c. un. quid praced. deb. 2. F. 4. c. unic. ſi de feud. Vaſall. 2. F. 25. c. un. de nat. feud. 2. F. 2. c. un. qual. jur. deb. Vaſall. 2. F. 5. c. un. quib. mod. feud. 1. F. 25. c. un. §. 1. de nov. form. fidel. 2. F. 7.* Johannes Gallicus *inter conſ. Feud. var. Conſ. 1. n. 28.* Quemadmodum & feudo conceſſo, ſemper ſub ea conditione conceſſum intelligitur, ſi Vaſallus fidelis erit, daß der Lehnman ſeinem Lehn-Herren hold/ getrew vnd gewertig ſey. Knich. *de veſtit. pact. part. 2. c. 5. n. 7.* ſiquidem propter fidelitatem feudum regulariter datur *c. 1. verb. nulla. per quos fiat inveſtit. 2. F. 3.*

A Johan.

Biblioteca Nazionale NAPOLI

Digitized by Google

Johan. Baptiſt. Vincemala *int. conſ. Feud. var. conſ.* 1. *n.* 52. *& ibid.* Georg. de Eccleſ. *conſ.* 48. *n.* 3. Et hinc Vaſalli fideles vocantur *c.* 1. *pr. an. remov. deb. teſt.* 2. *F.* 19. *c.* 1. §. *& quia vidimus.* 1. *& ſeq. de his qui feud. dar. poſſ.* 1. *F.* 1. *c.* 1. *pr. ſi de inveſt. feud. cont. fuer.* 1. *F.* 4. Quamquam etiam ij, qui jurisdictioni alicuius ſubjecti aut jurejurando alicui obſtricti ſunt, hoc nomine adpellentur, uti hoc Eguinar Baro *in Comm. ad conſuet. Feud. lib.* 2. *tit.* 9. plenius pertractat. Hæc mecum reputans, cum à Nobiliſſimo ac Ampliſſimo huius Academiæ JCtorum ordine, diſputatio pro in utroq; jure ſummis conſequendis privilegiis, mihi habenda injungeretur, operæ pretium me facturum duxi, ſi hanc materiam paulò altius, quantum quidem vires ingenii mei permittant, trutinare, & ſub diſputationis incudem vocare animo mecum conſtituerem: Iſtius JCtorum Pauli. *in l. legavi.* 25. *de libert. legat.* Et Ulpiani. *in l.* 1. *de ſuſp. tut. & curat.* memor: quæ quotidiana & perneceſſaria, plenius & accuratius eſſe enucleanda. Proinde abſque longiori præfatione, auxilio Numinis Divini implorato, rem ipſam aggrediar. Sit itaq;

THEOREMA I.

Fidelitas, à fide dicta, eſt obligatio Vaſalli, ratione Feudi, Domino omnia ea præſtandi, quæ ab ipſo jure Feudorum requiruntur.

EXEGESIS.

§. 1. UT ordine atque methodicè, quantum quidem fieri poteſt, procedamus, ab ipſa Etymologia, quæ verbis proprium dat ſignificatum. Bart. *in l. omnes populi.* 9. *ff. I. & I.* exordium ducemus. Potior enim quidem rerum, ut inquit, Hopper. *lib.* 1. *de Elem. jur.* ſed verborum prior habenda eſt ratio, authore Macrobio *lib.* 1. *Satur.* Et rem aliquam tractaturum prius noſſe oportet, unde nomen eius deſcendat, præeunte & monente JCtorum Coryphæo Ulpian. *in l.* 1. *pr. de juſt. & Iur. l.* 1. *de reb. cred. l.* 1. *de proc. l.* 1. *de novat. l.* 1. *de pravar.* Gœdd. *ad Rubr. d. V. S. pr.* maximè cum turpe ſit, aliquid prius determinare quàm terminos intelligere. Proſp.

Farinac.

Farinac. *tract. de Indic. & tort. p. 36. n. 2.* Mantic. *de conject. ult. vol. lib. 1. tit. 1.* Muſcul. de Anom. *ſucceſſi claſſ. 1. membr. 3. de unione prol. lit. A. num. 3.*

§. 2. Eſt autem fidelitas à fide dicta. Quæ licet accuratè loquendo inter ſe differant, eò quod fides animo, fidelitas re declaretur, ut annotat Auſon. Popma de differ. verbo. *lib. 2. lit. F. verb. Fides.* apud Obertū tamen de otto. *c. un. §. ult. per quos fiat inveſt. 2. F. 3.* eandem habent ſignificationem & promiſcuè uſurpantur, ita ut nulla inter fidem & fidelitatem ſit diſtinctio. Vult. *lib. 1. de Feud. cap. 6. num. 1.*

§. 3. Sumiturque dupliciter vel pro ipſa fidelitate ſeu fide, quæ promittitur. ut *d. §. ult. per quos fiat inveſtit. 2. F. 3. in rubr. tit. de form. fidel. 2. F. 6. & c. 1. de nov. form. fidel. 2. F. 7.* vel pro promiſſione fidelitatis, quo ad fidelitatem & fidem illam ſe Vaſallus obſtringit, ut *in c. 1. §. eſt & alia 1. quæ fuit prim. cauſ. benef. amitt. 2. F. 24. c. un. quid præced. deb. 2. F. 4.* Obrecht. *tract. Feud. lib. 2. c. 10. n. 10. & 11.* per metonymiam adiuncti pro ſubiecto, ut vult Roſenthal. *de feud. c. 6. concl. 85. n. 3.*

§. 4. Priori modo conſiderata fidelitas, quum de ſubſtantia feudi ſit, nullo modo remitti poteſt. *c. 1. pr. & ibi Gloſſ. de cap. Corrad. 2. F. 40. c. 1. quæ fuit prim. cauſ. benef. amitt. 2. F. 24. c. 1. §. fin. per quos fiat inveſtit. 2. F. 3. c. 1. pr. verſ. ſi beneficium eſt: de fidel. 4. F. 76.* Mozz. *de feud. c. 5. n. 20.* Modeſt. Piſtor. *vol. 2. conſ. 11. n. 6.* ſive id fiat per directum ſive per indirectum (quod enim directè fieri prohibetur, id nec per indirectum expediri cenſetur *l. 4. §. 7. ff. de his qui notant. infam. l. fin. ſi mancip. ita ven. c. deteſtanda 2. de conceſſ. prabend. in 6.* Dn. Bocer. *de inveſt. feud. c. 1. num. 13.* Curt. Jun. *part. 1. quæſt. 6. n. 3.*) veluti ſi pactum adjiciatur, ne Vaſallus, delictum aliquod contra Dominum committens feudo privetur, ut communis Feudiſtarum ſentit ſchola. Roſenthal. *de feud. c. 2. concl. 66. n. 3. & c. 10. concl. 34. n. 60.* Borchold. *de feud. c. 1. n. 20.* Sonsbec. *part. 2. n. 34.* Quia & de jure civili pacta contra naturam & ſubſtantiam alicuius contractus appoſita, ipſum vel in aliud genus contractus reponunt. *l. cum manu ſata 80. in fin. ff. de contrah. empt. l. ubi donatur 27. ff. de mort. cauſ. donat.* vel ipſum actum annihilant, ut in contractu matrimonii *per c. fin. extr. de condit. appoſ.* vel ipſa pa-

Digitized by Google

ⅽta nullius ſunt momenti, & tamquam inutilia rejiciuntur, contracta in ſua natura firmo manente. *l. cum precario 12. pr. ff. precar. l. obligationum 24. §. placet 1. ff. de O. & A. l. rogaſti. §. ſi tibi ff. de reb. cred.* vide Vult. *de feud. lib. 1. cap. 7. n. 51.* Schoner. *lib.* ● *diſp. feud. 5. th. 66. 67. & ſeqq.* Dn. Obrecht. *de feud. lib. 2. c. 8. n. 54.*

§. 5. Definitionem ipſam quod attinet, generis loco poſui obligationem *arg. princ. Inſt. de obl.* Hoc enim inter Vaſallum & Dominum agitur, ut ille fidelitatem præſtet, hic autem ad feudi traditionem teneatur, & ſic ex hac mutua obligatione feudum cōſtitutum effectum ſuum ſortiri debet; huius enim finis intuitu Dominus feudum concedit, ut nimirum Vaſallum ſibi habeat obligatum. Dn. Obrecht. *d. tr. feud. lib. 2. c.* 10. *n.* 9. Et propterea etiam feudum interdum contractum feudalem denotat, ut patet *ex c. 1. §. item ſi Vaſallus poſſederit. §. ſimiliter. ſi de inveſt. feud. 1. F. 4. c. 1. §. fin. de ſucceſſ feud. 1. F. 8. c. 1. de benef. frat. & qual. 1. F. 20. c. 1. & 2. de feud. dat. in vic. leg. 1. F. 27. c. 1. pr. & fin. verb. per feudum de uſu Mediol. ſecund. quosd. 1. F. 28. c. un. §. præterea. quid ſit inveſtit. 2. F. 2. c. 1. verb. id nec per feudum. per quos fiat inveſtit. 2. F. 3. c. 1. §. rei. verb. per beneficium. de eo qui ſibi & heredi ſuo. 2. F. 17.* Gothof. Ant. *Diſp. feud. 1. th. 2. lit. C.* Gœdd. *diſp. feud. 1. th. 2. lit. C.* Conſultiſſ. Dn. D. Zabell. Affinis & Fautor meus colendus. *Inſtit. feud. Exerc. 1. th. 2. lit. B.* Linck. *tract. feud. part. 1. n. 9. pag. (mihi)* 22.

§. 6. Per tutelam definiunt Schoner *lib. 1. diſp. feud. 5. th. 158.* verum mihi videtur genus hoc eſſe vel improprium, vel planè inadæquatum & particulare; tutum enim una ſolummodo eſt ſpecies formæ fidelitatis, quæ reliquas ſub ſe non comprehendit. Per promiſſionem definiunt Weſenbecius *tr. feud. c. 8. n. 2.* & Dn. Obrecht. *d. tr. lib. 2. c. 10. n. 12.* ſed & hoc nimis remotum genus eſſe videtur, cum ex promiſſione iſta fidei obligatio demum oriatur. Nec Hattyſerius in *Analyſ. jur. feud. c. 9. fol. 91.* genus congruum apponere videtur, dum per juramentum definit. Eſt enim anguſtior ſuo definito, quippè, cum fidelitatem ita definitam poſtea in non-juratam & juratam diſtribuerit, etiam in genere definire eam debuiſſet, ſiquidem generalis definitio, omnibus ſpeciebus debet eſſe communis, *arg. l. 1. §. & generaliter ff. de legat. præſt. l. in toto. 8. l. ſemper*

ſpecialia

ſpecialia 147. de R.I. Sicut etiã juramentũ unus tantũ modus eſt, per quem fidelitas conſtituitur; & ſi omnis fidelitas juramentum eſſet, tunc non poſſet remitti, quum feudi eſſentia in ipſa fide ſit poſita.

§. 7. Reliqua verba in definitione differentiæ loco ſunt poſita; continent enim intrinſecam formam fidelitatis Vaſallaticæ, quæ conſiſtit in omnibus iis, quæ à Vaſallo ratione feudi requiri ſolent, & ad ſex præcipuè à Feudiſta *c. 1. de form. fidel. 2. F. 6.* referuntur, nimirum ad incolume, tutum, honeſtum, utile, facile, poſſibile. De quibus infra pluribus agetur. Quod autem dicitur obligationem eſſe Vaſalli, eo ipſo reſpicio ad modum frequentiorem, quo fidelitas promittitur, juramentum ſcil. licet enim Dominus Vaſallo parilem debeat fidelitatem, unde Germanicum illud *πολυθρύλλητον* enatum getrewer Herr getrewer Knecht. & ut Feudiſta loquitur *c. 1. de form. fidel. 2. F. 6.* Dominus in omnibus vicem fideli ſuo reddere debeat, quod ſi non fecerit, meritò cenſeatur malè fidus; cujus intuitu, Dominus Vaſallum dicitur habere in conjugẽ *c. un. in pr. de nat. feud. 2. F. 58.* Nusquam tamen legitur, quod ſicut Vaſallus Domino, ſic viciſſim Dominus Vaſallo fidelitatem jurare teneatur. Quod non eſt iniquum, ſiquidem Dominus tamquam ſuperior, qui Patroni vicem gerit, præ Vaſallo tamquam cliente & beneficiario ſuo, aliquâ prærogativa gaudere debet, id quod colligi poteſt ex modo adducto text. *c. un. 2. F. 6.* Vbi Vaſallus transgreſſor perfidus & perjurus: Dominus autem ſaltem malefidus cenſetur. Ampliſſ. ac Conſultiſſ. Dn. D. Bitſchius Præceptor & Fautor meus æternùm honorandus *in prælect. publ. ad d. t. 6.* ubi cum ipſo communis Feudiſt. ſentit ſchola. Dn. Rittersh. *in part. feud. lib. 1. c. 10. quæſt. 12.* Schneidvv. *in Epit. feud. part. 5. c. 2. num. 135.* Mynſ. *decad. 11. reſponſ. 7. n. 8.* Et totum mundum ita ſervare ait Julius Clarus *lib. 4. Recept. ſent. §. feudum. q. 70. arg.* eorum quæ notantur in *c. un. de milit. Vaſall. qui cont. 2. F. 22.* juncta. *l. jusjurandum 34. de jurejur. l. licet famoſa 7. §. 5. de obſeq. parent. & patron. præſt.* Hinc etiam fidelitas proprium & peculiare Vaſalli cenſetur. per *c. 1. qual. Vaſall. jur. deb. fid. 2. F. 5. c. 1. de nov. form. fid. 2. F. 7.* Johan. Bapt. Vincemal. *inter conſ. Feud. var. conſ. 1. n. 51.*

Digitized by Google

Eſtque vel non-jurata, vel jurata.

EXEGESIS.

§. 1. DEfinitionem ita traditam ſequitur diviſio. Licet autem una ſaltem ſit fidelitas, quæ à feudo ſalvâ ipſius ſubſtantiâ minimè ſeparari poteſt; cum tamen iſtius præſtatio duplici perficiatur modo, vel ſimplici promiſſione vel jureiurando, Ideò hi modi duplicem conſtituunt fidelitatem, aliam non-juratam, aliam juratam; quarum illa propria, hæc impropria nominari poteſt, Quemadmodum alias feudum aliud proprium aliud improprium dicitur *c. 1. §. fin. de his qui feud. dar. poſſ. 1. F. 1. c. 1. de feud. improp. 4. F. 81. c. 1. de feud. non hab. prop. nat. feud. 2. F. 48.* Weſenb. *d. tr. feud. c. 2. n. 1. & 2.* Curt. *part. 1. feud. quæſt. 8. num. 1.* Intrigliol. *quæſt. feud. 38. n. 73. & ſeq.* aut magis illam ſubſtantialem, hanc accidentalem, appello, eò quod illa pars intrinſeca (ut loquitur Weſenb. *d. tr. Feud. proœm. n. 13.*) ſubſtantiæ feudalis; Hæc verò civili tantum ratione ad adſtringendam Vaſalli fidem juramentum adhibeat.

§. 2. Non-jurata, ſive ſubſtantialis feudi fidelitas eſt, qua Vaſallus nuda ac ſimplici promiſſione abſq; ſacramento ſeſe obligat Domino, ſpondens ſe illi fore fidelem, commoda ipſius promovere, damna avertere & venerationem ei præſtare velle. Er wolle dem Lehnherren trew vnd holdt ſein / deſſen Nutzen fördern / ſeinen Schaden wenden / jhm auch gebürende Ehr erweiſen. Quemadmodum hi articuli habentur *in c. un. de form. fid. 2. F. 6. & c. unic. de nov. form. fid. 2. F. 7.*

§. 3. Jurata fidelitas eſt, quâ Sacramentali promiſſione Vaſallus ad fidem, & quæ ſub hac intelliguntur, præſtandam Domino ſeſe obligat. *c. 1. qual. Vaſall. Dom. jur. deb. 2. F. 5. cum tit. 2. ſeqq. c. 1. in fin. per quos fiat in veſtit. 2. F. 3. d. c. 1. quæ fuit prim. cauſ. beneſ. amitt. 2. F. 24. c. 1. quid præc. deb. 2. F. 4. d. c. 1. de fidel. 4. F. 76.* Alio nomine juramentum fidelitatis, Vaſallaticum ſeu clientelare, item homagium, hominium, & vaſallagium, noſtra vernacula die Lehnspflicht adpellitatur Dd. *in d. c. un. qual. Vaſall. Dom. jur. deb. 2. F. 5.*

F. 5. Vult. *d.l.c.6.n.7.* Roſenth. *in ſynopſ.feud.c.6.concl.68.* Schneid. *part.5.cap.1. n.67.* Knich. *de ſublim.& territ.jur. c. 3. n.157.* Galli nominant hommage. Pet.Greg.Thol. *in ſyntag.jur. univ.lib.6.c.15.n.6.*

§. 4. Et ſi autem ut plurimum & ferè regulariter jurejurando fidelitas promitti ſolat, certum tamen eſt, quod hic modus interdum remitti poſſit. uti liquet ex *c. un. per quos fiat inveſt. 2.F.3.& c.un.quæ fuit prim.cauſ.benef.amitt.2.F.24.ibiq. Laudenſ.n.208.* Naturale enim duntaxat feudi eſt, ejusq; adminiculum. Ratio huius remiſſionis peti poteſt, ex *l.qua ſub conditione 8. pr.ff.de condit. inſtit.* ubi JCtus tradit, quod nonnulli hominum, faciles ſint ad jurandum contemptu religionis, alii perquam timidi, metu Divini nominis, ad ſuperſtitionem usq;, ut ita ab illis juramentum exigere, metu perjurii, ſit nimis periculoſum; ab his autem nimis religioſum. Deinde juramenta etiã non adferunt fidem viro, ſed vir juramentis, probiorque Vaſallus etiam absque jurejurando fidem ex natura feudi debitam ſervat. Dn. D. Zabell. *Inſtit. Feud. exerc. 1. th. 1. lit. B.* Vaſallus cui hoc juramentum eſt remiſſum, dicitur, Vaſallus per nõ ſacramentum *in c.un.in fin.qual.Dom.propr.feud.priv.2.F.47.* Borch. *de feud. c. 1. num. 21.* & feudum hoc modo conſtitutum iniurabile vocant Feud. Comm.

§. 5. Juramento tamen ita remiſſo, nihilominus Vaſallus ad omnia quæ in juramento fidelitatis comprehenduntur Domino obligatus manet. Zaſ. *de feud.part.ult.n.34.* Schrad. *part.6.c.7.n.14. & 17.* Mozz. *de feud.tit.de ſubſtant.feud.quæſt.42. n.6.* Non enim ex huius remiſſione cenſendum eſt, fidelitatem ſimul eſſe remiſſam. Quum ut ſupra dictũ eſt, iuramentũ tantũ ſit unus modus, per quẽ fidelitas promittitur, qui licet in frequentiori ſit uſu, ita ut feudo ſimpliciter conceſſo, in dubio non præſumatur iuramentum fidelitatis remiſſum. Intrigl. *d. quæſt. 42.n.13.* non tamen ab huius remiſſione, ſtatim ad remiſſionem omnis fidelitatis argumentari poſſumus, aliàs plus eſſet in concluſione quam in præmiſſis. vid. Roſen. *de feud. lib. 1.c. 2. concl. 66. num.3.* Vult. *de feud. lib. 1. c. 6. n. 10.* Menoch. *vol. 1. conſil. 1. n. 29. & conſil. 65.n. 45.* Matth.de Afflict. *deciſ. 119. n. 2. & ſupra citati.*

§. 6. Quod ſi verò Vaſallus, absq; iuramento ſeſe ad fidelitatem præſtandam obligans feloniam cõmittat, feudo quidẽ tamquã

per-

Digitized by Google

perfidus privatur, periurium tamen non committit. Siquidé periurium iurisiurãdi eſt violatio, quomodo autem iuramentũ, quod præſtitũ nõ eſt, violari poteſt? & hoc evincitur etiã per *c. pen. X. de jurej.* ubi ſtatuitur, quod is, qui primum ſe per juramentum obligavit, poſtea autem illud corporaliter non reiteravit, non teneatur ad obſervantiam ex debito præſtiti juramenti. Si itaq; ex juramento non iterato, quis non teneatur, multo minus teneri poteſt ex juramento prorſus non præſtito, cum id, quod non eſt, nemo poſſit transgredi. Et licet promiſſio fidei jurisjurandi loco facta an Eydesſtatt/ juramento æquipolleat. *c. ad aures & ibi* Panorm. *n. 3. de his qui vi metusq; causa* Gail. *2. obſ. 59. n. 1.* Cothm. *reſponſ. 18. n. 123.* hoc tamen non niſi ad obligationis firmitatem obtinet, non quoad pœnã perjurii. Verè enim periurus dici nõ poteſt, qui ſimplicem aſſertionem fidei interpoſitione confirmatam eſt transgreſſus. inquit Setſerus *de juram. lib. 1. c. 6.* Id quod patet ex *cap. un. de form. fid. 2. F. 6.* ubi Vaſallus transgreſſor fidelitatis & perfidus & periurus dicitur, quorum illud ad ſimplicem fidei promiſſionem, hoc ad juramento vallatam referri optimè poteſt. Hancq; ſententiam approbat Schrader. *part. 6. cap. 4. n. 14. in fin.* Dn. D. Zabell. *Inſtit. feud. exerc. 7. concl. 2. lit. A.* Contradicit Schoner. *lib. 1. Diſp. feud. 5. th. 162. & diſp. 8. th. 24.* huncq; ſecutus Willenberger/ *in ſyllog. Diſp. ad jus feud. 4. theſ. 5. lit. B.*

THEOREMA III.

Tenentur autem fidelitatem preſtare omnes omninò, qui feuda accipere poſſunt, ſive illud noviter acquirant, ſive acquiſitum renovent; cujuscunque ſint ſtatus, dignitatis, conditionis, ætatis &c. idque vel per ſe, vel per alios.

EXEGESIS.

§. 1. GEneraliter ita pertractatis definitione & diviſione ad perſonas jam transeundum quæ fidelitatem præſtant. Quemadmodum enim omne jus hominum gratia conſtitutum eſt *l. 2. de ſtat. hom.* ita etiam jus feudale; ut proinde omninò videndum de

perſo-

perſonis fidelitatem præſtantibus. Tota autem huius membri dijudicatio dependet ex eo, ut perſpiciamus, tùm qui feuda accipere poſſunt, tùm qui in feudis ſuccedunt, eaque renovant.

§. 2. Fidelitatem itaq; quivis debent Vaſalli, qui inveſtituram petunt & feuda accipiunt, cuiuſcunq; ſint ſexus, ita ut non ſolum maſculi, de quibus inter feudiſtas conſtat, ſed & fœminæ, de quibus dubitari poteſt, fidelitatem facere cogantur *per c. un. in fin. per quos fiat inveſtit. 2. F. 3. c. un. qual. Dom. jur. deb. 2. F. 5.* Quæ jura cum generaliter loquantur, generaliter etiam & indiſtinctè ea exaudiemus, *per l. 1. §. generaliter 2. ff. de legat. præſt. l. . §. initio. 4. ibi: quicquid igitur. ff. de off. præf. urb. & ibi Gloſſ.* Bart. *in l. adigere §. Quamvis ff. de jur. patron.* Aldobr. *Inſt. de Excuſ. tut.* Gœdd. *in l. veſtis, 127. n. 2. de V. S.* Et regulæ tam diu ſtandum, donec de exceptione doceatur. *l. ſuus quoq; 4. §. puto 1. ff. de hered. inſtit. l. ab ea parte 5. pr. ibi: ſpecialiter. ff. de probat.* Bald. *in l. ſi tutor. in fin C. de ſerv. pign. dat. manumiſſ.* Jaſon. *in l. poſt. dotem. ff. ſolut. matri. lect. 2. n. 87.* Decius *ad l. fœmina 2. n. 108. ff. de R. I.* Schult. *obſerv. forenſ. 29. n. 22.*

§. 3. Et Quamvis fœminæ ad ea quæ in fidelitate continentur, inhabiles cenſeri, eaque expedire ratione ſexus prohiberi poſſint, præſertim ſi ſervitia militaria reſpiciamus; id quod etiam dubium reddidit Pariſium *lib. 1. Conſil. 16. n. 5.* Eo ipſo tamen, quod feuda accipiant, per conſequentiam ad ea omnia habilitantur, quæ feuda requirunt *arg. l. 2. ff. de jurisdict. & l. ſi quis filio 6. §. ſed & ſi quis ff. de injuſt. rupt. & irrit. teſtam.* Si verò hæc in propriâ perſona expedire ſexus fœminei pudor non admittat, nihil obſtat, quò hæc per ſubſtitutum, ex præſumpta Domini conceſſione tacitâ facere poſſint; Quam ſententiam fovent Speculat. *in tr. de feud. §. quoniam. n. 41.* Schrad. *part. 6. c. 4. n. 8.* Schoner. *Diſp. 5. th. 164.* Menoch. *vol. 1. Conſil. 65. n. 30.*

§. 4. Fidelitatem etiam faciunt omnes Vaſalli nullo habito diſcrimine dignitatis, ſicuti inferiori ſuperior, ratione feudi, quod ab ipſo tenet, fidelitatem facere debet. Licet itaq; reverentia Imperatoriæ maieſtati debita Imperatorem excipere videatur; nullibi tamen eum exceptum eſſe reperimus, ſed potius in locis antea allegatis generaliter, abſq; omni dignitatis diſcrimine fidelitatem â Vaſallo exigi videmus, ut proinde dubium non ſit, quin & prin-

Digitized by Google

ceps Romanus & qui ſuperiorem non agnoſcit ad fidelitatis præſtationem omninò teneatur. Quod etiam patet *ex. c. un. Imperat. feud. amitt. vel alium per ſe tit. 100. extraord. F. 5.* Deinde etiam certi juris eſt, quod princeps in contractibus & pactis etiam cum privato & ſubdito ſuo initis, privatorum jure utatur, nec magis violare pacta conventa poſſit, quã quivis privatus *arg. l. prædia. C. de locat. præd. civit.* Magnificus Dn. Cancellarius Pruckman Patronus meus venerandus *in tract. de Regal. part. 1. cap. 4. membr. 2. effect. 1.* Duar. *ad l. 5. ff. de pact.* Coraſ. *lib. 2. Miſcell. c. ult. n. 5.* Gilken. *ad l. ex Imperfecto. C. de teſtam.* Bodin. *lib. 1. de Rep. c. 8.* Geil. *lib. 2. obſerv. 55. n. 7.* & Dd. communiter. Feudi datio autem quin ſit contractus & ultro citroq; obligatorius nullum eſt dubium. Quare Imperatorem etiam ad fidelitatem præſtandam teneri, maximè concludendum. Juramentum tamen ipſi remitti, aut ſi ſit præſtandũ. per ſubſtitutũ expediri poteſt. *arg. l. ad ſimilitudinem 21. C. de Epiſcop. & Cler.* præſertim cũ & hoc cuilibet privato concedant jura feudalia, ut infra pluribus demonſtrabitur, quidni igitur & imperatori hoc concedatur? quippè qui ipſemet illud ſalvã Imperii Maieſtate vix præſtari poſſit, ut inquit Cujac. *ad d. tit. 100. extr. 5. F.* Zaſ. *part. 5. n. 73.* Ægid. Bellamer. *Conſil. 48. col. 10.*

§. 5. Nec etiam eſt ut diſcrimen faciamus inter ſtatum & conditionem, id quod etiam generalitas textuum non admittit. Sive itaq; Laicus ſit, ſive Clericus, non minus hic quam ille ad fidelitatem faciendam tenetur. Et quidem de Laico minimè dubitatur: de Clerico verò textus juris Pontificii extãt expreſſi, id haud obſcure arguentes *c. rerum. extr. de for. compet. c. petitio. & c. nimis extr. jurejur.* qui adducuntur ab Alvarotto in *c. un. qual. Vaſall. jur. debeat. 2. Feud. 5.* Dn. Bocer. *de inveſtit. feud. c. 4. n. 11.* SchneidWin. *part. 4. n. 7.* Vult. *c. 7. n. 36.* intrigl.. *quæſt. 56. n. 26.* Et quidni? Siquidem clerus propter ſuam utilitatem mores & leges feudales à Laicis inventas & gubernatas approbavit, & conſtitutionibus editis eas ſequendas eſſe teſtatus eſt; ut proinde fidelitatis præſtationem renuere nequeat. Quemadmodum habet Roſenthal *c. 12. concl. 5. n. 46.*

§. 6. Sed quid de Eccleſia dicendũ? Illa certè quod excepta ſit, conſtat ex *c. un. tit. 101. Eccleſ. fid. non fac. F. 2.* ubi expreſſis verbis ſcribitur; de negotio ſuper quo nos conſulere voluiſti, tibi ſecundum jus curiæ, & uſum feudi breviter reſpondemus, quatenus pro feudo,

quod

quod ab aliquo per Eccleſiam detinetur, nulla ſit facienda fidelitas. Et ratio eſt, quod Eccleſia ſit cultrix & auctrix juſtitiæ, nec patiatur contra juſtitiam quicquam fieri in ſe vel in alterum, ut dicitur in *c. un. de alien. feud.* 1. F. 13. Item quod ſit fons fidei atq; veritatis, ſic ut fallere neſciat, adeoq; peierare nequeat, proinde fruſtra ad ea, quæ juſtitiæ & fidei ſunt, jurejurando adſtringetur. Intrigl. *quæſt. 56. n. 22.*

§. 7. Ut ut autem jure feudali ita conſtitutum ſit, uſu tamen & contraria obſervantia hodiè aliter obſervatur, ut Prælati & Præſules Eccleſiæ feudum Eccleſiæ nomine accipientes omninò fidelitaté facere teneantur. Uti teſtatur Hartm. Hartm. *lib. 2. obſerv. pract. tit. de feud.* 54. *obſerv.* 4. *n.* 5. & 6. Id quod confirmatum eſt expreſſo Bonifac. VIII. Pontificis decreto in *c. un.* §. *verum quando Abbatiſſa* 2. *extr. de ſtat. Reg. in 6.* E cuius decreti verbis clarè pateſcit, iuri feudali hoc ſuo decreto expreſſe derogatum velle Pontificem, nec id abſq; ratione. Licet enim Eccleſia fallere & peierare non poſſit; prælati tamen & præſules, Eccleſiæ nomine feuda accipientes, fallere & perfidi exiſtere poſſunt. Intrigl. *quæſt. 20. n. 13.* Mozz. *tit. de diviſ. feud. n. 9.* Deniq; & ipſorum Clericorum Conniventiâ in deſuetudinem abiit. *arg. eorum quæ habet* Roſenthal. *d. cap. 12. concl. 5. num. 46.*

§. 8. Propter eandem rationem generalitatis textuũ, non eſt diſtinguendum inter ætatem, an ſint minores, an verò maiores 25. annis, modo ſint puberes & annum 14. ætatis, ſecundum ius feudale, compleverint. *arg. cap. un.* §. *ſi minori &* §. *ſi quis deceſſerit. ſi de feud. defuncti. content. ſi int. Dom. & agnat. Vaſal. 2. Feud. 26. c. un.* §. *præterea ſi quis de probib. feud. alien. per Frid. 2. F. 55.*

§. 9. Nec intereſt, Vaſallus ſit pater familias, an filius familias. Hic enim, cum quatenus feuda poſſidet, in iis tanquam bonis caſtrenſibus pro patre familias & Domino habeatur, fidelitatem omnino præſtare cogitur. *arg. l. vulgo præſumitur 2. ff. de vi lit. jur.* minimè enim concedimus, quod feudum filio familias conceſſum patri adquiratur cum communi FF. Schola. Weſenbec. *de feud. cap. 5. n. 4.* SchneidWin. *part. 6. n. 7.* Schrader. *part. 7. c. 6. n. 6. & ſeqq.* Vult. *lib. 1. c. 4. n. 8.* Schoner. *lib. 1. Diſp. feud. 2. th. 54. Lit. A. & C.* licet diſſentiant Sonsbec. *de feud. part. 7. n. 8.* Niell. *Diſp. feud. 2. th. 5. lit. D.* Aliud tamen eſt, ſi eum vel ætas vel aliud ſimile excuſet.

Digitized by Google

§.10. Nec immunes à fidelitate ſunt perſonę univerſitatis. Quæ etſi omnes & ſingulæ fidelitaté feudalitiá, & juramentum præſtare non teneantur; cum id quod ad univerſitatem pertinet non ad ſingulos, ut ſingulos pertinere intelligatur *l. ſicut. 7. §. 1. ff. quod cujusq; univerſ.* per Syndicum tamen, vel procuratorem aut actorem negotium hoc expedire poſſunt. *Per l. municipibus 97. ff. de condit. & demonſt. & arg. l. in tantum 6. § univerſitatis. ff. de Rer. div. l. ſed ſi hac 10. §. qui manumittitur 4. ff. de in jus vocand. c. qui manumittitur c. 12. q. 5.* Hartman. Hartman: ab Epping. *tit. de feud. obſerv. 3.* Schrader. *de part. 6. cap. 4. n. 24.* SchneidW. *part. 5. n. 70.* Sylvan. *de feud. recogn. quæſt. 94.*

§. 11. Quando autem hic juramentum nomine totius univerſitatis præſtat, jurabit tum in ſuam propriam, tum etiam in ſingulorum de univerſitate animam *arg. cap. in pertractandis 3. in fin. extr. de juramen. calum. cap. 2. de teſtib. in 6.* Eumque ad hunc actum ſpeciali & pleno mandato non ſolum Conſulum & Senatorum pro ſe & civibus ſuis, ſed & tribunorum plebis, aliorumq; primatum, pro cujuſq; conſuetudine loci oportet eſſe inſtructum. Hinc procuratorium Syndici ita concipi ſolet. Wir Burgermeiſter Raht vnd alle Bürger gemeiniglich: *c. ordin. Cam. Imper. p. 1. tit. 38. §.* Zum ſechſten verſ. vnd dann dieweil. Mynſ. *1. obſerv. 76. & 3. obſerv.* 18. Vult. *lib. 1. c. 7. n. 35.* Mozz. *de feud. ſubſtant. n. 16.* Bocer. *de inveſtit. feud c. 4. n. 25.* Interdum tamen, ſed rariſſimè, ab univerſitatis Senioribus, vel civitatum Conſulibus & primoribus, abſq; adminiſtratoribus, hic actus peragitur.

§. 12. Porrò Quemadmodum Vaſallus ipſe fidelitatem hanc clientelarem præſtat, ita etiam heredes & ſucceſſores ipſius ad eandem tenentur *c. un. in pr. quæ fuit prim. cauſ. amitt. feud. 2. F. 24.* Et licet pater Vaſallus pro ſe & filio ſuo & ſucceſſoribus ſuis juraverit, nihilominus tamen mortuo illo, filius fidelitatem de novo præſtare tenetur. Equidem de jure Civili pater & filius una eademque perſona cenſetur *l. ſi quis duobus. 11. in fin. C. de Impub. & aliis ſubſtit.* & vox filii dicitur vox patris *§. Siquis alij 4. verſ. ei verò de Inut. ſtip.* ibiq; SchneidW. Aliud tamen hoc in caſu obtinet. Siquidem fidelitas eſt quaſi ſpecies quædam ſervitutis perſonalis. Bald. *in c. veritatis extr. de jurejur. n. 4.* juramentum etiam non niſi animam

animam jurantis obligat: Bart. *in auth. quod obtinet C. de probat. num. 3.* Jacobin. de S. Georg. *in verb. qui quidem inveſtiti. num. 35. & ſeqq.* & hinc ex parte jurantis juramentum perſonale dicitur. Innocent. *in d. c. veritatis in fin.* ibiq; Bald. *in fin. pr. & alii Canoniſtæ X. de jurejur.* Quid? quod juramentum hæredis multum differat à defuncti juramento *l. generaliter 12. pr. C. de reb. cred. & jurejur.* ibiq; Gothof. *in not. lit. I.* & Sichard. *ad eandem n. 9. 10. 11.* Aliud tamen dicendum ſi in inveſtitura expreſsè additum fuerit, quod inveſtitura iſta patris etiam filio prodeſſe debeat. Schrad. *part. 6. c. 1. n. 4.*

§. 13. Et hæc procul dubio locum habent, ſi unus Vaſalli ſit ſucceſſor, quod ſi verò plures ſint, inter Feudiſtas acerrimè diſputatur, quis fidelitatem præſtet? ut quid ſit ſtatuendum hæream. De hoc tamen conſtat, ſi feudum totum ad unum ex heredibus pervenerit: quod is ſolus fidelitatem faciat, ut ſolus Vaſallus *c. 1. §. omnes ſi de feud. defuncti. cont. ſit. int. Dom. 2. F. 26.* Roſenthal. *c. 6. concl. 36. n. 3.* Sonsbec. *part. 11. num. 14.* Mozz. *de ſubſtant. feud. num. 18.* Schneidvv. *part. 5. n. 11.* Vult. *c. 7. n. 93. in fin.* Aliud tamen de jure Saxonico dicendum *arg. art. 22.* Lehnrecht: quo facit *art. 6. 21. & 32.* Lehnrecht: ubi omnes coheredes filii vel agnati, licet ad alium filium vel agnatum totum feudum ex diviſione hereditatis pervenerit inveſtituram petere & fidelitatem jurare tenentur. Schurff. *lib. 2. conſil. 59. n. 3.* Schrader. *part. 6. c. 1. n. 7.*

§. 14. De eo autem maximè controvertitur, ſi feudum ad omnes relictos Vaſalli heredes pervenerit, an una tantum facienda ſit fidelitas, an verò omnes & ſinguli fidelitatem præſtare teneantur? Oritur hæc difficultas ex *c. 1. §. omnes. ſi de feud. def. cont. ſit int. Dom. & Vaſall. 2. F. 26.* cui conſonum eſt *c. 1. §. firmiter verſ. præterea. de prohib. feud. alien. per Frid. 2. F. 55.* contrariatur autem *c. extraord. ſi plur. ſint Dom. vel Vaſall. 2. F. 77.* ut ita hæc capp. antinomiam alere videantur, in qua diſſolvenda valde deſudant Interpretes aliam alii quærentes reconciliationem. Verum enim verò textus iſte extraordinarius tanti momenti non eſt, ut à ſenſu textuum ordinariorum quempiam dimovere debeat, ſtatuo itaque cum *c. 1. de prohib. feud. alien. per Frid. 2. F. 55.* quod omnes qui partem feudi jam diviſi vel dividendi habent, fidelitatem facere debeant, tum quod textus, id expreſſis verbis decidit, tum quoq; quod ratio

Digitized by Google

ſubſit non contemnenda. Quilibet enim heredum eo ipſo quod partem feudi tenet, eam poſſidet, ex qua poſſeſſione intelligitur Vaſallus Domini, pro ea ſcilicet parte quam poſſidet, cuiusq; emolumentum percipit. Huius igitur reſpectu Domino ſuo fidelitatem denegare, quis poſſit ſtatuere? Quam opinionem, ut communiorem & veriorem defendunt Rotenthal. *d. c. 6. concl. 36. n. 1. & ſeqq.* Schrader. *d. part. 6. c. 1. n. 6.* Zaſ. *part. 7. n. 10.* Hartm. Piſtor. *lib. 2. quæſt. 47. pr.* Sonsbec. *part. 11. n. 13. & 14.* Vult. *c. 7. n. 48.* Si tamen reconciliatio, horum textuum quærenda eſſet, cenſerem cum Dn. Melaſio *in colleg. de fidel. client. diſp. 1. th. 34.* Diſtinguendum eſſe inter unum ſpecie & unum numero, ut ſi dicatur in c. extraordinario, unã fidelitatem & unum ſervitium Domino fieri debere, quod una fidelitas ſpecie non numero intelligatur.

§. 15. Si verò à pluribus defuncti Vaſalli heredibus, ratione feudi pro indiviſo poſſeſſi, juramentum clientelare præſtitũ fuerit, id poſt diviſionem nullus eorum pro portione ſua repetere, cogi poteſt; niſi alio titulo quam jure accreſcendi, aut per feloniam, titulo ſc. donationis, emptionis aut alio nactus fuerit; tunc enim pro eadem parte nihilominus jurare tenetur, utpote quod primum juramentum reſpectu prioris portionis præſtitum, portionem poſtea adquiſitam minimè reſpicere videatur. Jul. Clar. *in §. feudum. quæſt. 49. n. 12.* Quamquam in electorali Saxoniæ aula quoad ultimum caſum aliud obſervari teſtetur Hartm. Piſt. *d. quæſt. 47. n. 13. in fin.* vbi tradit, quod is qui fidelitatem ſemel præſtitit, denuo non ſoleat jurare, ſed ſufficiat, ſi ſub priori juramento fidelitatem manu ſtipulatã promittat, ſe id quod antea juravit reſpectu novæ etiam portionis præſtiturum & ſervaturum.

§. 16. Quod dictum eſt de pluribus heredibus Vaſalli, id etiã porrigitur ad eos, qui ſimultaneè ſunt inveſtiti, welche die geſampte Handt an ein Lehen haben. Hi quippè licet feudum ipſum re ipſa nõ poſſideant, propter ſpem tamen ſucceſſionis & ſimultaneam manũ, fidelitatem præſtare & jurare debent. Weſenb. *de feud. c. 8. num. 22.* Schurff. *cent. 1. conſ. 16. & 66. n. 12.* cui tamen jus commune, ſimultaneam inveſtituram & ejus fidelitatem ignorans, obloquitur, dum ſtatuat, proximiorem agnatum antè ſucceſſionem ſibi delatam, & poſſeſſore adhuc vivente, ad fidelitatem jurandam cogi non poſſe;

imò

imò nec filium vivente adhuc patre. Jacob de Ardiz. *ad tit. qual. Vaſall. jur. deb. Dom. fidel. verſ. nunquid & filio.* Schrad. *p. 6. c. 4. n.* 28.

§. 17. Id tamen quod omnes & ſinguli Vaſalli defuncti heredes fidelitatem promittere debeant, non ita accipiendum eſt, ac ſi omnes ſimul, uno ac eodem tempore, fidelitatem facere debeant; ſed in arbitrio eorum eſt poſitum, ſeparatim ac diſtinctis temporibus id expedire. Unde & Dominus, ſi unus eorum pro ſua perſona in veſtituram petat, & ad præſtandam fidelitatem ſe offerat, eum minimè repudiare & inveſtituram eò usque, donec cæteri heredes veniant, differre poteſt. Roſenthal. *d. cap. 6. concluſ. 36. num. 4.* Hartm. Piſtor. *d. quæſt. 42. num. 14.* Molinæus *in conſuet. pariſ. §. 2. Gloſſ. 4. n. 38.* Vult. *c. 7. n. 92.*

§. 18. Quid? quod plures heredes, ſi ipſimet in perſona juramentum præſtare nolint, vel impediantur, unum vel plures, ex ſe eligere poſſint, qui omnium nomine, inveſtituram petat, & fidelitatem præſtet, qui vulgo Lehnträger adpellitatur: modò id ipſi vel illis ſpecialiter à reliquis expreſsè demandatum fuerit. Omnes enim videntur jurare, pro quorum parte juratur. *arg. l. municipibus 97. ff. de condit. & demonſt.* Et aliàs Vaſallo per alium inveſtituram petere, & fidelitatem facere licitum eſt, ut ex ſequentibus patebit. Quæ ſententia communis eſt Feudiſt. & Dd. *in c. un. §. omnes filij ſi de feud. defunct. cont. 2. F. 26.* Schneidvv. *p. 6. n.* 12. Sonsbec. *part. 11. num. 14.* Zaſ. *part. 7. num. 11.* Weſenbec. *cap. 8. n. 9. verſ. poteſt tamen.* Hartm. Piſtor. *d. quæſt. 47. num. 12.* Borchold. *partit. cap. 7. num. 34.* Vult. *d. cap. 7. num. 93.* Et hanc ſententiam inveteratâ Germaniæ conſuetudine receptam eſſe, teſtatur Hartm. Hartm. *lib. 2. obſerv. pract. tit. de feud. 5. obſ. 19.* & poſt hunc Mynſ. *cent. 1. obſ. 9. in fin.*

§. 19. Cæterum quemlibet Vaſallum fidelitatem clientelarem, vel Vaſallagium non ſolùm in propria perſona, ſed etiam per Procuratorem præſtare poſſe conſtat, tum ex jure feudorum, *ut ex c. un. per quos fiat inveſtit. 2. F. 3. & c. un. §. item inveſtitura de Not. feud. 4. F. 58.* tum jure Canon. *ut in cap. un. §. æquum ibi niſi per procuratorem illud præſtat X. de ſtat. regul. in 6. c. optatum 4. in fin. ibi nec aliquem, qui jurejurando tam firmaret miſeris. diſtinct. 100. & c. metuentes 32. c. 17. q. 4.* tum etiam de jure Civili juramen-

tum

Digitized by Google

tum per procuratorem præſtari poteſt, ut probat *l. qui bona 13. §. ſi alieno 13. ff. de Damno infect.* vide Weſenbec. *in parat. ff. de jurejur. n. 9. verſ. eſt & illud*, ubi opinionem Bartoli, quem ibi allegat in praxi ſervari teſtatur. Et hanc communem eſſe opinionem refert Jul. Clar. *in d. §. feudum quæſt. 49.* Schrad. *d. part. 6. c. 4. n. 34.* Gail. *de Arreſt. Imper. c. 7. n. 11.* Intrigl. *de feud. quæſt. 56. n. 230. & ſeqq.* Schneidvv. *part. 5. n. 88.* Weſenbec. *c. 8. n. 24.* Zaſ. *d. part. 7. n. 21.* Mozz. *de ſubſt. feud. n. 16.* Hartm. Hartm. *d. t. de feud. obſ. 13. n. 2.* Matthias Stephani *de juriſdict. lib. 2. part. 1. c. 7. n. 230. & ſeqq.* Bocer. *de inveſt. feud. c. 4. n. 22.* Setſer. *1. de juram.* 14.

§. 20. At ſi Senior ipſius Vaſalli præſentiam deſideret, Procuratoremq; eius admittere nolit, Vaſallus ipſe compareat, & fidelitatem perſonaliter præſtet neceſſum eſt, modò juſtas habuerit cauſas, cur ipſum Vaſallum præſentem habere velit. Bald. *in tit. 22. F. 1.* Schrader. *d. part. 5. c. 2. n. 35. & part. 6. c. 4. num. 34.* Hartm. Piſtor. *d. quæſt. 47. n. 50.* Vult. *d. c. 7. n. 232.* Si tamen Vaſallus juſtum & legitimum habeat impedimentum, propter quod comparere nequeat, procuratorem ipſius, Dominus admittere cogitur, licet ſatis juſtæ cauſæ adfuerint, propter quas à Vaſallo fidelitatem perſonaliter præſtandam requirat. Hartm. Piſt. *d. quæſt. 47. n. ult.* Bocer. *d. c. 4. n. 24.*

§. 21. Ut autem Procurator hunc actum juſtè expediat, neceſſum eſt, ſpeciali mandato de præſtando clientelari jureiurando, à principali ſit inſtructus. Siquidem non in propriam animam ſuam, ſed in ſui principalis jurare debet. *clem. un. verſ. dictus namque Henricus. de jureiur.* In animam autem alterius abſque ſpeciali mandato jurare nec Canonico, nec Civili jure permiſſum eſt *c. pen. & ultim. de jureiur.* Schrad. *d. part. 5. cap. 3. num. 11. & part. 6. c. 4. num. 31.* Laur. Sylvan. *de recogn. feud. quæſt. 94.* Hartm. Piſtor. *d. quæſt. 47. num. 58.* Zaſ. *part. 7. num. 20.* Dn. Bocer. *d. cap. 4. num. 24.* Idque adeò verum eſt, ut ratihabitio locum ſibi hic vendicare nequeat. Gloſſ. Bart. & Bald. *in & arg. l. multum Cod. ſi quis alt. vel ſibi ſub alt. nom.* Schrader. *part. 6. cap. 4. num. 32.* Tutoribus tamen & Curatoribus, quibus nomine Pupillarum & Adoleſcentum fidelitatem præſtare permittitur *c. un. §. ſi quis deceſſerit ſi de feud. defuncti content. ſit. 2. F. 26.* Speciali ad id

mandato

mandato non eſt opus, liberè enim & ex affectione erga pupillos & Adoleſcentes jurant, & ſi nolint cogi, non poſſunt: officium etiam eorum ſatis ipſis eſt pro mandato, ſicuti tradit Jacobin. d. S. Georgio *in verb. qui quidem in veſtit. n. 12.* Schrader. *de feud. d. p. 6. c. 4. n. 34.* Vult. *d. c. 7. n. 37.* Intrigl. *quæſt. 56. n. 228.* ſi vero de officio eorũ inveſtiẽdi non conſtet, ſuadet Vult. *d. l.* ut exhibeant tutoria & curatoria.

§. 22. Et licet, quod de ſpeciali mandato dictum, etiam obtineat in Syndico ſive procuratore aut alio nomine toti' alicuius univerſitatis fidelitatem præſtante. Hic enim, niſi hoc ſpeciali mandato inſtructus ſit, ad fidelitatis juramentum præſtandum non admittitur, ut ſupra. §. 11. dictum eſt. Differunt tamen in eo, quod Syndici & procuratores civitatum & univerſitatum, in propriam etiam & ſingulorum de univerſitate animam jurare teneantur, *arg. c. in pertractandis 1. in fin. ibi œconomos juramentum in animam jurantis præſtare Extr. de juram.* ut & *c. 2. ibi Abbate & Priore nomine ſuo & in animas conventuum eorum. Extr. de teſtib. in 6.* Procuratores verò ſingularum perſonarum, non niſi in animam ſui principalis per Gloſ. *in c. tibi Domino 33. in verb. jurare facio diſt. 63.* Hodiè in aulis principum hac formulâ jurari ſolet. Ich Sempronius, als Vollmächtiger Gewaldträger Titii ſchwere vnd gelobe in deſſen Gewiſſen vnd Seele Gott dem Allmächtigen / vnd den Schlöſſern ꝛc. Als war jhm Gott helffe vnd ſein heiliges Evangelium. Quemadmodum hęc formula annotatur à SchneidW. *part. 1. n. 59.* Vult. *d. c. 7. n. 4. verſ. hodie forma illa.*

THEOREMA IV.

Omnibus Dominis â quibus ſunt inveſtiti, cujuſcunque ſint ſtatus, dignitatis aut alterius conditionis, & vel Dominis ipſis vel ipſorum loco aliis.

EXEGESIS.

§. 1. HActenus perſonas vidimus, quę fidelitatem præſtent. Ordo itaq; requirit, ut & eas contemplemur, quibus ea præſtari debet. Et Quemadmodum prioris theorematis dijudicatio ut plurimum dependebat ex conſideratione perſonarum: quæ

feuda accipere & poſſidere poſſint. Ita & in hoc deſpiciendum; Quænam perſonæ infeudare poſſint. Ita ut quibus permiſſum eſt feuda concedere, eis & fidelitas præſtari debeat. Proinde ſive Maſculi ſint ſive fœminæ, his æquè, quam illis debetur fidelitas. Siquidem hæ non minus quam illi feuda concedere poſſunt. per *cap. 1. in fin. per quos fiat inveſt. 2. Feud. 3.* cui ſententiæ ſubſcribunt Baro Schenck. *ad text. allegat. ibique Feudiſtæ communiter.* Sonsbec. *de feud. part. 6. n. 17.* Zaſ. *part. 5. num. 3.* SchneidW. in. *part. 3. n. 72.* Vult. *lib. 1. Feud. cap. 3. n. 9.* Obrecht. *tract. Feud. lib. 2. c. 1. n. 73. & ſeqq.*

§. 2. Nec intereſt, Clericus ſit Dominus vel Laicus, cum etiam uterq; infeudare poſſit. Ut conſtat *ex c. 1. de his qui feud. dar. poſſ. 1. F. 1. cap. 1. qui ſucceſſ. feud. 1. F. 3. cap. 1. Epiſcop. vel Abb. 1. Feud. 6.* Id quod etiam in pontifice valet, utpote qui inter Eccleſiaſticas perſonas primum locum ſibi vendicat, & licet in *c. alleg.* ipſius nulla expreſſa fiat mentio, nihilominus tamen aliis abſq; omni dubio feuda conferre poteſt, tum quod appellatione Archiepiſcopi Papa & comprehendatur, *arg. cap. in tantum diſt. 21.* tum quod non ſit tam ſimplex adminiſtrator, ut alii Prælati, ſed omnium Eccleſiarum ſit Dominus, ut ait Præpoſitus *ad d. c. 1. num. 19. & ibi* Bald. *num. 2.* undequod Imperator eſt in Imperio, id Papa creditur eſſe in univerſa Eccleſia, ſi Canoniſtis fides ſit adhibenda. *in c. propoſuit. de conceſſ. præb.* & Bald. *in c. bona de poſtul. prælat. & ad L. Barbarus de off. præt.* & hæc eſt communis Dd. opinio, uti teſtantur Zaſius *d. part. 5. n. 44.* Sonsbec. *d. part. 6. n. 2.* SchneidW. *d. p. 3. n. 6.*

§. 3. Quæ tamen non ita exaudienda, ac ſi Papa extra territorium ſuum pro lubito ſuo feuda dare poſſet, ſed de ſuo ipſius territorio id intelligendum, in quo jure Monarchæ utitur, & in Eccleſiis papalibus, in quibus jus ſuum exercet, non in cœteris Eccleſiis & regnis quæ jugum ipſius excuſſerunt. Ut de regno Galliæ oſtendit Duaren *in tract. de libertat. Eccleſ.* & Marſil. Patavin. de cœteris Eccleſiis. *in defenſor. Paciſ.* Quamquam & in proprio ſuo territorio Papam hoc jus Monarchæ non habere de jure, ſed de facto dixerit Bald. *ad cap. 1. de feud. March. 1. Feud. 13.* Et ſi præterita reſpiciamus tempora, olim Imperator non ſolum Archi-Epiſcopatus, Epiſcopatus & Abbatias, ſed etiam Pontificatum contulit

tulit, ut conſtat ex c. *Adrianus* 22. *cum ſeqq. c. cum longè.* 25. *diſt.* 63. *& c. hunc etiam* 16. *q.* 1. Unde & hæc majora feuda Eccleſiaſtica regalia appellitantur, eò quod à Rege vel Imperatore conferantur. *c.* 1. §. 1. *de feud. March.* 1. *F.* 14. *cap.* 1. *de leg. Corrad.* 2. *F.* 34. & c. 1. §. *item ſi Clericus de capit. Cor.* 2. *F.* 14. expreſsè traditur. Clericos, Abbates, Epiſcopos beneficium à Rege habere. Rectè itaq; fecerunt & hodiè in Germania ArchiEpiſcopi, Epiſcopi, Abbates, Prælati, quod etſi pallium à Papa accipiant, nihil tamen aliud ipſi acceptum ferant, quam ſolummodò gradum Clericatus, non autem regalem dignitatem & territoria, quæ beneficio Imperatoris agnoſcunt, uti teſtatur Gailius paſſim.

§. 4. Multo minus concedendum, quod Imperator reſpectu imperii Romani Pontifici Vaſallagium præſtare debeat. Nam licet Canoniſtæ & Clementis V. Papæ conſtitutio *in clem. un. de jurejur.* formulam jurisjurandi Ottonis Imperatoris, quæ habetur *in c. Tibi Domino.* 33. *diſt.* 63. juramentum fidelitatis interpretentur; falſum tamen id eſſe ex hiſtoriis optimè deducit Ampliſſimus Dn. D. Cluten. Præceptor ac Promotor meus ætatem obſervandus *in Sylloge rerum quotidianarum theſ.* 4. *lit. C. & in faſcic. impietati. iniquit: falſitat. theſ.* 14. ubi hanc formulam ſuſpectam, futilem, ac nullius momenti eſſe aſſerit, quum neque quis fuerit ille Johannes & quotus ejus nominis, neque quotus & Otho, ex formula illa conſtet. Imo juramentum, quod Imperator Pontifici præſtat, non fidelitatis ſed protectionis eſſe Pontificii ipſi ſtatuunt; Carol. Molinæus *ad Conſuet. Pariſienſi tit.* 1. *in prolegom. n.* 34. ubi allegat Cardin. Alexand. *in c. ſi Papa diſt.* 40. Nec importat quod Imperator à Pontifice coronam accipiat. Præterquam enim quod hoc non ſit neceſſarium, quum Imperator etiam abſq; coronatione Papæ Imperatoriam ſuam Majeſtatem ſartam tectam habeat. (Aliàs Alexander, Hadrianus, Conſtantinus Magnus, Theodoſius, Juſtinianus, Maximilianus 1. & 2. Rudolphus 1. & 2. non fuiſſent Imperatores, quia à Papa non ſunt coronati) etiam coronatio Imperatoris de jure ad Papam non pertinet, ſed de facto ſuo aſſumpſit, ut ex Caroli Magni vita, ex Polydoro Vergilio *lib.* 4. *d. Rer. invent. cap.* 10. multiſque aliis locis conſtat. Neque ideò coronat, ut primum hanc dignitatem & poteſtatem Imperatori electo Papa

 tribuat;

Digitized by Google

tribuat; ſed ut vice Populi Romani hoc externo ritu teſtetur, hunc Imperatorem eſſe ſuffragio populi confirmatum. Et ſi coronatio quam Papa facit, tanti eſſet momenti, idem etiam ArchiEpiſcopo Colonienſi tribuendum eſſet, ut pote qui primam Coronam imponit. Cathedra non facit Sacerdotem, ſed Sacerdos Cathedram, nec locus ſanctificat hominem, ſed homo locum, alias dicitur *c. 1. diſt. 40.* ſic nec Coronatio Papalis facit Imperatorem, ſed Imperator Coronam. Videatur Reinkingk, *de regim. ſec. & Eccleſ. lib. 1. Claſſ. 2. cap. 4.* Conſult. Dn. D. Brunningk in elegantiſſima ſua inaugurali Diſp. *de Homag. th. 176.* Interim non negamus, quod Imperator reſpectu feudi, quod ipſi à Papa de bonis ſuis propriis datum fuit, Papæ fidelitatem facere debeat. Quemadmodum Carol. V. regnum Neopolitanum tanquam feudum à Pontifice tenuit, ut ipſe fatetur apud Sleidan. *lib. 6.* Et hoc procul dubio etiam vult. *c. unic. Imperat. feud. amitt. 2. F. 100.* quod dicit, Imperatorem Romano Pontifici fidelitatem debere.

§. 5. Porro nulla dignitatis ratio haberi debet, ſive Imperator ſit, aut alius ſuperiorem non recognoſcens, ſive Capitaneus Regis aut regni, quales ſunt Duces, Marchiones, Comites *c. un. §. 1. 1. Feud. 1.* ſive ſint Valvaſores maiores *c. un. de Nat. Feud. 1. F. 7. & c. un. quib. mod. feud. amitt. 1. Feud. 17.* ſive Valvaſores minores, qui etiam Valvaſores minimi *cap. un. an marit. ſucced. ux. in benef. 1. Feud. 16. & c. un. de feud. Dat. minim. valvaſ. 1. Feud. 16.* & valvaſini dicuntur *c. un. quis dic. dux. March. 2. Feud. 10.* Iis æquè omnibus, ſi feudum alicui conceſſerint debetur fidelitas. Imo cum feudum abſq; fidelitate conſtitui nequeat, omnibus privatis & plebeis, qui de bonis ſuis, quorum liberam habent adminiſtrationem, feuda conferunt, fidelitas præſtanda eſt. Adeò planè ut & Ruſticis, ſi loci conſuetudo ita ferat, ut de bonis ſuis quem infeudare poſſint, fidelitas minimè ſit deneganda.

§. 6. Soli autem Domino, qui beneficiū conceſſit, Vaſallus fidelitatē præſtare debet. Proinde ſi alii quā ſeniori promiſſa fuerit fidelitas, beneficiū amittit Vaſallus: Eo ipſo enim quod alteri jurat Vaſallus, primum Dn. contemnere, & hunc contemnendo abnegare, abnegando autē feudū ſuum alienare videtur, ut non immeritò feudo privari poſſit *c. 1. in pr. de capit. Corrad. 2. F. 40. c. 2. quo temp. mil. 1. F. 22.*

1. F. 22. c. 1. §. *prætereà ſi quis. de prohib. feud. alien. per Frid.* 2. *F.* 55. & utrobique Dd. Abbas *in c. venerabilem de Elect. & conſ.* 3. *vol.* 2. Jacob de S. Georg. *in verb. qui quidem. n.* 13. Mozz. *de ſubſtant. feud. num.* 14. Vult. *lib.* 1. *c.* 7. *n.* 89. Aliud tamen eſt, ſi Vaſallus per vim armorum & tyrannidem aut aliam neceſſitatem, cui reſiſtere non potuit alii fidelitatem jurare coactus fuerit, quo caſu omninò excuſandus eſt. Bart. *in tract. de tyrannid. quæſt.* 6. Freccia *de ſubfeud. lib.* 2. *auct.* 4. Speculator *in tit. de feud.* §. *quoniam verſ.* 17. Socinus *vol.* 3. *Conſil.* 36.

§. 7. Deinde etiam ita ſoli Seniori ſive Domino debetur fidelitas, ut Vaſallus, vivente ad huc Domino, nec filio eius fidelitatē præſtare teneatur *c. un. quo temp. miles.* 1. *F.* 22. *c. un. de cap. Corrad.* 2. *F.* 40. Domino enim vivente prius juramentum vigorem adhuc ſuum obtinet, quo nondum ſoluto, alteri ſe obligare nequit. Præpoſ. *ad c. un. qual. Vaſall. jur. deb.* 2. *F.* 5. *n.* 4. Alvarott. *in c. un de form. fidel.* 2. *F.* 6. *n.* 8. Roſenthal. *c.* 6. *concl.* 106. Schrader. *part.* 6. *c.* 4. *n.* 27. Bocer. *de inveſt. feud. c.* 4. *n.* 32. Vult. *d. l.* Dn. Obrecht. *de feud. lib.* 2. *c.* 10. *n.* 45. *&* 46. Si tamen filio jus ſuum Pater conceſſerit, Vaſallumque à juramento præſtito abſolverit, Filio omninò fieri poteſt fidelitas. Feudum enim non amplius ad Patrem, ſed ad filium pertinet. Vult. *d. l. n.* 90. *& Dd. modo allegat.* Idem dicendū ſi feudum hoc pacto Vaſallo conceſſum fuerit, ut Domino adhuc vivente filio eius fidelitatem præſtaret: Quum enim pacta dent legem contractui. *l.* 1. §. *ſi conveniat* 4. *ff. depoſiti l.* 1. *de pactis.* ea, quæ inter Dominum & Vaſallum contracta fuerunt omninò ſervanda ſunt. Vid. Dd. modo allegatos.

§. 8. Quid dicendum de Subvaſallo, anne is non ſolum Domino immediato, ſed & mediato vel ſuperiori fidelitatem præſtet? Regulariter id Dd. negant *per c. Imperialem* §. *prætereà ſi quis de prohib. feud. alien. per Frid.* 2. *F.* 55. ubi per proprium Dominum Dd. communiter intelligunt Dominum proximum à quo quis immediatè feudum tenet, qui etiam in eodem textu ſuus Dominus dicitur §. *inſuper verſ. illud quoque præcipimus. ibi ſui Domini.* Et maximè id probat idem text. *verſ. illud quoque præcipimus. ibi niſi pro ſervitio Domini ſui id fecerit.* Ubi Dominus immediatus & proximus Domino mediato ſuperiori præponitur: Et patet hoc exinde, quod

Vaſallus reſpectu Domini immediati, non autem mediati Vaſallus propriè dicatur. Homo enim Vaſalli mei propriè homo meus non eſt, Ideoque cogere ipſum non poſſum ut mihi præſtet fidelitatem per Gloſſ. *fin. c. legitur. diſt. 81.* Jacobin. de S. Georgio *in verb. qui quidem inveſtiti. num.* 14. Schrader. *part. 6. cap. 6. n. 58. & 59.* Menoch. *lib. 3. præſumpt.* 102. *num. 3. & 9.* Huius tamen deciſionis limitationes vid. ap. Dn. Melaſium *in colleg. de fidelitat. & juram. client. Diſp. 2. th. 5.*

§. 9. Poſt obitum Domini ſucceſſori & heredibus eius facienda eſt fidelitas *c. 1. in princ. quo tempore miles 1. F. 22. cap. 1. de capit. Corrad. 2. F. 40.* Et quidem ſi ad unum ex heredibus feudum pervenerit, dubio caret omni, quin ei ſoli facienda ſit fidelitas, quum is ſolus, utpote qui feudum concedit, pro Domino habendus. Quemadmodum is fidelitatem tantum facit, ad quem feudum Vaſalli defuncti ex diviſione pervenerit *c. un. §. omnes filii ſi de feud. defunct. cont. ſit int. Dom. & agn. Vaſall. 2. F. 26.* & ibi Alvarot. & Præpoſit. Jacob. de S. Georg. *in verb. qui quid. inveſtit. n.* 28. Schneidvv. *p. 5. n. 15. in fin.*

§. 10. Si verò ad plures relictos Domini defuncti filios feudum pervenerit, an omnibus heredibus, an uni ſaltem eorum fidelitas præſtanda ſit ambigitur? quam quæſtionem multùm agitatam dicit Hartm. Piſtor. *lib. 2. quæſt. 47. num. 18. verſ. ſed quid è converſo*, nodoſam & intricatam nominat. Roſenthal. *cap. 6. concluſ. 38. num.* 1. & varias de illa fuiſſe opiniones ait Jul. Clar. *in §. feud. quæſt. 49. n. 11.* Quidam enim omnibus heredibus fidelitatem præſtandam eſſe aſſerunt, cuius opinionis defenſores ſunt, Alvarottus *in d. §. omnes. ſi de feud. def. cont. ſit. 2. F. 26.* Wurmbſ. *tit. de feud. obſ.* 27. Caccial. *obſ. feud.* 34. Sonsbec. *part. 11. num. 16.* Zaſ. *p. 7. n. 12.* Schrad. *p. 6. c. 4. n. 25.* Intrigl. *q. feud. 56. n. 259. & ſeqq.* ubi multis & rationibus & autoritatibus eam munit. Quidam uni ſaltem præſtãdam eſſe autumant, in qua opinione ſunt *Gloſſ. in d. §. omnes filii.* eamque ibi ſecuti Bald. Iſernia & Jacob. de Belviſo Matth. de Afflict. *num. 27.* & Baro Schenck, *num.* 8. Jacobin. de S. Georg. *d. l. n. 28.* Sylvan. *de recognit. feud. quæſt. 94. n. 5. & quæſt. 106.* Quidam mediam amplectentes ſententiam ſtatuunt, non quidem ſingulis Dominis Vaſallum teneri ſeparatim fidelitatem facere, ſed uni duntaxat eorum.

rum, communi tamen omnium nomine fidelitatem recipienti. Cujus opinionis adſertores ſunt Laudenſis, Præpoſit. & Alvarot. *in d. §. omnes filii.* Molinæus *in conſuet. Parſ. §. 2. Gloſſ. 4. n. 53.* Zaſ. *part. 7. num.* 12. Niell. *diſp. feud. 7. th. 4. lit.* D. Hartm. Piſtor. *lib. 2. q. 47. n. 24.* Dn. Obrecht. *tr. feud. lib. 2. c. 10.*

§. 11. Quænam inter has diſcrepantes ſententias arripienda ſit hæreo. Secunda tamen opinio utpote expreſſis juris feudalis textibus & firmioribus rationibus munita, mihi verior videtur. Primò enim textus eſt expreſſus *in c. 1. ſi plures ſint Domini vel Vaſall. an plur. fid. vel. ſerv. 2. F. 77.* ubi clarè ſcribit Feudiſta: plures autem Domini & ſi feudum dividant, nullo modo niſi unam fidelitatem ex feudo habere poſſunt. Cum quo conſentit *Rubr. & text. c. un. non cogi Vaſall. pro uno feud. duas fidel. fac. 2. F. 102.* ubi expreſſis verbis tradit Feudiſta, quod ſecundum jus feudi, quis duas fidelitates, pro eodem feudo, facere non debeat; Imo quod antequã heredes Domini defuncti feudum inter ſe partiti fuerint, Vaſallus cogi non poſſit, fidelitatem pro eo feudo facere. Et licet hi textus ſint extraordinarii, quum tamen iis nullus textuum ordinariorum contradicat, quin illi pro deciſione huius quæſtionis allegandi ſint, dubitandum non eſt; præſertim cum ex textu ordinario ſuffulciantur. *c. un. §. præterea Ducatus. ibi ita tamen. de probib. feudi alien. per Frid. 2. F. 55.* ubi Imperator ſancivit, nõ cõpelli Vaſallũ pro uno feudo plures Dominos habere. Trahunt quidem diſſentientes hunc textũ ad illum caſum, quo Domini alienatione feudum integrum dividitur: ſed hoc valdè eſt divinatorium; textus enim loquitur generaliter, non ſolum hunc ſed & alterum caſum in ſe comprehendens; id quod patet exinde, quod Feud. loquatur de feudis Ducatus, Marchionatus, Comitatus, quæ ratione ſucceſſionis omnẽ refugiũt diviſionẽ, aliàs autẽ cũ conſenſu Domini oppignorari, & prorſus alienari pro parte poſſunt, veluti cõmunis atteſtatur experientia; ut ita huius textus deciſio non ſolum de cauſa alienationis, ſed & maximè de ſucceſſione ſit accipienda; Etiam propterea, quod nulla ratio diverſitatis dari poſſit, cur magis hæc deciſio de illo, quam de hoc caſu ſit accipienda; (ſucceſſionem enim modum eſſe transferendi Dominii, & ſic etiam titulum alienationis quis neſcit) ſed quæ in uno militat, optimè etiam ad alium allegari poſſit,

quam.

Digitized by Google

quam habet Sonsbecius *alleg. loc.* ne ſcil. Vaſallus plurium Dominorum obſequiis, cùm maximo ſui diſpendio minimoq; Dominorum fructu, ceu procellis undique ingruentibus obruatur. Dum enim in utrumq; feſtinatur, neutrum benè peragi conſtat.

§. 12. Inſuper & ratio hoc ſuadet minimè contemnenda. Nam certi & in dubitati juris eſt, quod ex perſona heredum conditio obligationis non debeat immutari *l. 2. §. ex his 2. ff. de V. O.* jam verò hæc feudi natura eſt, ut pro uno feudo non niſi una fidelitas præſtari debeat, idque inter ſeniorem defunctum & Vaſallum tacitè & expreſsè actum eſt, quare ex perſona heredum immutari non debet. Et huic ſententiæ adſtipulatur jus Saxonicum. Landrecht. *c. 29.* ubi textus inquit. Der Mann darff auch nicht / den von einem ſeines Herren Sohn ſein Gut entpfahen. Nec hoc ipſo cœteri Domini heredes jure ſuo privantur. Nam licet Vaſallum totius feudi nomine uni ſemel juraſſe ſufficiat, nihilominus tamen omnibus poſtea obligatus, & fidelis quoad reverentiam manet, uti ſentit Bald. *in d. §. præterea. n.* 8. Zaſ. *part. 7. n. 11.* Interim negari non poteſt, ſi Vaſallus ab initio feudum à pluribus Dominis conceſſum habeat, quod tunc pluribus Domini heredibus, iisque omnibus fidelitatem facere debeat. Hoc enim caſu feudum à pluribus originem trahens, ſuâ naturâ plures admittit fidelitates pro pluribus Dominis & Dominorum heredibus, Jacobin. de S. Georg. *in verb. qui quidem inveſtit. n.* 28. *verſ. idem & ſi ab initio.* Roſenthal *c. 6. concluſ.* 38. *n.* 1;. Idem dicendum ſi Vaſallus ſemel in plures eiusdem Domini heredes conſenſerit, iisque fidelitatem præſtiterit: ſibi enim ipſe imputet, quod deinceps eos omnes Dominos agnoſcere & fidelitatem facere cogi poſſit. Jacobin. de S. Georgio *d. n.* 28. *verſ. aut ipſi.* Mozz. *de ſubſtant. feud. num.* 28. *in fin.* Roſenthal. *d. concl.* 38. *num. ultim. in fin.*

§. 13. Nec renuerem Vaſallum uni omnium heredum nomine fidelitatem præſtare poſſe, modò hic unus ab aliis heredibus ita conſtituatur, ut Vaſallus hunc unum pro omnibus agnoſcat, eique fidelitatem & ſervitia præſtet. Hoc enim modo conditio obligationis Vaſallaticæ non immutatur nec durior efficitur, nec etiã plures Dominos pro uno feudo agnoſcit. Sed quinam ille unus ex heredibus ſit, cuique fidelitas fieri debeat, iterum non conſtat, ſed

Interpp.

Interpp. maximè de eò inter ſe digladiantur. Siquidem hoc expeditum eſt, ſi coheredes omnes in unum conſentiant, eique committant, ut fidelitatem recipiat, quod huic fidelitas omninò ſit præſtanda. *argum. l. quod ſi nolit 31. §. ſi plures. 5. ff. de AEdilit. Edict. l. ſtipulatio. 21. §. idem ait. 6. ff. de oper. nov. nunt. l. jam tamen 5. §. unus. 1. ff. judicatum ſolvi. l. 4. §. creditoribus. 9. ff. de fideicom. hered.* Baro Schenck. *in d. c. un. §. omnes filii num. 10.* Jacob. de S. Georg. *in verb. qui quidem inveſtiti.* Molin. *in conſuet. Pariſ. tit. 1. §. 2. Gloſſ. 4. num. 54.* ubi ait, hanc ſententiam in praxi obſervari. Zaſ. *part. 7. n. 11.* ubi hoc ita apud Germanos obſervari aſſerit. Niell. *diſp. feud. 7. th. 4. lit. C.* Hartm. Piſtor. *lib. 2. quæſt. 47. num. 24.* Vult. *lib. 1. c. 7. num. 9. & 95.*

§. 14. In eo autem omnis reſidet controverſia, ſi hæredes inter ſe diſſentiant, cui ſit electio tribuenda? relictis omnibus aliis opinionibus cum Dn. Obrecht. *d. tract. lib. 2. cap. 10. num. 81. & ſeqq.* hoc in caſu faciam. Et primò quidem Vaſallus heredes Domini convocare debet ad id, ut unum ex ſe eligant, cui fidelitas præſtari poſſit, Quod etiam vult. Clar. *in §. feudum. quæſt. 49. num. 11.* Hartm. Piſtor. *d. quæſt. 47. num. 25.* Quod ſi heredes eligant, res certa eſt; ſin minus, vaſallo tribuenda eſt electio, ita tamen ut rationem habeat, an aliqua ſubſit cauſa, cur potius huic quàm alii heredum fidelitas ſit præſtanda, veluti ſi dignior inter Domini heredes ſit, ei præ reliquis fidelitas promittenda. *argum. l. majorem. 8. ff. de pactis & l. ultim. ff. de fide Inſtrum. argum. c. ſi Duo §. ultim. extr. de procurat. in 6.* Hartm. Piſtor. *d. quæſt. 47. num. 27.* Vult. *d. cap. 7. num. 95.* Si verò nec dignior adſit, Senior eligendus eſt, *argum. d. l. fin. ff. de fid. inſtrum. l. cum pater. 77. §. cum pater. 21. ff. de legat. 2.* Tiraquell. *de jur. primogen. quæſt. 85. n. 15.* Adiri etiam poteſt ſuperior Dominus, qui aut heredes cogere poteſt, ut unum eligant. *l. 4. §. creditorib. 9. ff. de fidei comm. hered. l. ſtipulatio. 21. §. 6. ff. de novi operis nuntiat.* aut ipſe ſtatuere, cui inter heredes fidelitas facienda. *arg. §. ſed ex teſtamento verſ. ſin autem ipſi tutores diſſenſerint Inſtit. de ſatis dat. tut. & arg. l. 3. §. ſi non erit. 7. verſ. Prætor igitur ff. de adminiſt. & peric. tut.* cum quo conſentit jus Saxon. Landtrecht *c. 29.* ibi Das muß aber der oberſte Herr erſtlich entſcheiden/ an wem er es verweiſen wolle/ von dem ſie jhr gut entpfahen ſollen/ ob ſie

D ſich

ſich darumb ſelbſten nicht vereinigen/von wem ſie jhr Gut entpfahẽ wollen. Hartm. Piſt. *d.q.47.n.78.* Bocer. *de inveſt.feud.c 4.n.45.verſ.nõ ineptè.* ubi hanc tutiſſimam viam Vaſallis ſuadet.

§. 15. Admodum etiam intricata & ardua eſt quæſtio: ſi duo vel plures de principatu vel directo feudi Dominio contendant, cuinã ex his fidelitas præſtanda? Interpp. iterũ in diverſas abeunt ſententias. Mihi eorũ placet opinio, qui ſtatuunt, poſſidenti fieri debere fidelitatẽ, ex eo, quod in pari cauſa potior habeatur poſſeſſor. *l. in pari cauſa 126.ff.de R.I.l.fin.C.de Rei vind.l.poſſeſſiones.2.C. de probat. l.ſi ſervum 91.§.ſequitur.ff.d.V.O.§.commodũ.Inſt.de Interd.c.ex literis X.de prob.* Et in dubio pro poſſeſſore præſumatur Gl. *in c nulli dubiũ 2.q.1.* Menoch. *conſil.90.n.59.* Zaſius tamen. *p.7.n.7.* ſuadet, Vaſallum id facere debere cum proteſtatione de non præjudicãdo alteri: *arg. l.fin.ff.de petit. hered.l.ordinata.ff.de liberal.cauſ.l.prætor ait in pr.ff. de Damn.infect.* & ita ſentiunt. Guido Papæ *conſ.92.n. 3. v. ideo dicunt* Jacob. de Ardizo *in ſumma feud.c.73.* Peck. *de Reg.Iur. reg.65. num. 2.* Schneidvv. *p.5.n.38.* Quod ſi tamen nullus poſſideat, nulli etiam fieri debet fidelitas, per ea quæ in ult. Theorem: declarantur. Sed proteſtari tenetur Vaſallus, quod non ipſe, ſed Domini litigantes fidelitatem impediant. Schneidvv. *d.l.*

§. 16. Porrò quemadmodũ Vaſallus per procuratorem fidelitatẽ facere poteſt, ita nihil impedit, quod & Dominus eandẽ per Procuratorem recipiat *c.un.§.ſed utrum ibi vel ſuſcipiatur.&ibi ab utraque parte. per quos fiat inveſtit. 2. F. 3.* Probatur etiam *Clem.1.§.poſtquam idem Henricus ibi aliud ejusdem Cardinalis de jureiur.in 6.c. ex te.22.ibi ſane cum Archiepiſcopatus X.de jureiur.* Schrad. *p.6.c.4.n.36.* Magna tamen eſt differentia inter Procuratorem Vaſalli nomine fidelitatem præſtantis, & inter Procuratorem Domini nomine eandem recipientis. Ea enim quæ Theorem. præcedenti §. 21. ab illo requiſita ſunt, in hoc non adeò ſtrictè obſervantur. Nam licet uterque mandato inſtructus eſſe debeat; ſufficit tamen ſi hic generale habeat, ut videl. is fidelitatem à Vaſallis recipiat, non expreſſo nomine Vaſallorum. Schrad. *d.c.4.n.36.* Sic etiam quando procurator abſque ſpeciali Domini mandato fidelitatem receperit, ſubſecutâ poſtea Domini ratihabitione, actus hic easdem habet vires, ac ſi mãdatum Domini adfuiſſet. Schrad. *d.c.4.n.36.*

§.17. Huius

§. 17. Hujus rationem diverſitatis reddit Bald. *in c. veritatis X. de jureiur.* Quod ſcil. juramentum clientelare reſpectu illius, qui id recepit, non ita perſonale ſit, nec ipſius perſonæ cohæreat, uti reſpectu ejus qui id præſtat. Aliud tamen forſan dici poſſit de feudis majoribus & regalem dignitatem annexam habentibus. In iis enim ſpeciale requiri mandatum conſtat *ex d. c. ea te. 22. ibi ſicut à nobis mandatum acceperat. X. de jureiur. & clem. 1. d. verſ. poſtquam Henricus, ibi ; quos ad urbem miſeramus de jureiur. in 6.* Quemadmodum etiam totius alicuius univerſitatis nomine procurator fidelitatem præſtare poteſt, ita quoque ſi aliquis à civitate vel alia univerſitate feudum teneat, fidelitatem non ſingulis ejus membris, ſed adminiſtratoribus ejus omnibus ſimul, aut uni ab iis deſignato præſtabit. Roſenth. *c. 6. concl. 63. n. 3.* Niell. *diſp. feud. 7. th. 4. lit. D.* Et tantum de ſubjecto fidelitatis.

THEOREMA V.

Quibus ſeſe obligant adverſus omnem hominem excepto Imperatore.

EXEGESIS.

§. 1. COgnitis perſonis, quæ fidelitatem præſtant, & quibus præſtanda, ſequitur contra quas Vaſallus eam præſtare debeat. De eo jam Feudiſta generalem tradit regulam in *c. un. de nov. form. fidel. 2. F. 7.* quod ſc. fidelis eſſe debeat Domino cōtra omnes, id quod plenius ſtatuit *in c. un. Hic finitur. lex 2. F. 28.* ubi tradit. Contra omnes debere Vaſallum Dominum adjuvare & contrà Fratrem & Filium & Patrem. Quæ regula cum generalis ſit, generaliter etiam exaudiri debet, nullæq; perſonæ ſunt excipiendæ, niſi quas textus ipſe aut pietas, ratio naturalis & honeſtas à naturâ implantata eximat. Siquidem exceptiones regulæ adpoſitæ regulam confirmant in caſibus non exceptis. per vulgat.

§. 2. Proinde quod Theorem. præced. §. 8. de Subvaſallo dictū fuit, quod is fidelitatem Domino immediato, non autem mediato præſtare debeat; id etiam hîc ſibi locum vendicare poteſt, quod ſcil. Subvaſallus Domino ſuo proximo & immediato contra Dominum majorem & mediatum, à quo Dominus proximus feudū

Digitized by Google

recognoſcit, fidelis eſſe debeat *c.un.§. inſuper verſ.illud quoq; de prohib.feud. alien.per Frid.2.F.55.* D. Melaſ. *diſp. 2. th. 18.* In tantum, ut licet ſpem habeat, quod aliquando feudum à mediato Domino adquiſiturus, impræſentiarum auté nó poſſideat, nihilominus contra mediatum Dominum ſeſe obligare poſſit. *c.un.§.ſatis benè de prohib. feud. alienat. per Lothar. 2. F. 52.* Schrader. *part. 6. c. 5. num. 4.* ubi allegat Alvarot. Præpoſit. Matthæum de Afflictis *in d. §. Satis benè.* Zaſ. *tr.feud.p. 7. n.2.* Nec hoc pugnat cum eo quod ſupra traditum fuit *th. 3. §. 16.* quod propter ſpem ſucceſſionis fidelitas ſit præſtanda, id enim obtinet ſaltem in caſu manus ſimultaneæ, Ideoq; non tàm propter ſpem ſucceſſionis, quàm propter ſimultaneam manum fidelitas eſt præſtanda, quod hîc ſe aliter habet. Nam non tenetur quis eſſe fidelis antequam eſt inveſtitus. Deinde etiam in concurſu Dominorum antiquior Dominus præfertur poſteriori *per c. un. §. fin. Hic finit. lex 2. F. 28.* Dominus autem immediatus hoc caſu antiquior eſt mediato. Ideoque ille huic præferendus. Videatur Dn. Melaſ. *alleg. diſp. 2. th. 19.*

§. 3. Deinde ita ſeſe obligat Vaſallus Domino ſuo, ut fidelis eſſe debeat contra fratrem, & per conſequens etiam contra omnes alios agnatos aut ſanguine junctos remotiores. *d. c.un. Hic finit. Lex 2. F.28.* Quod etiam idem textus ad filium & Patrem, extendit, ut hic contra illum, & ille contra hunc Domino fidelitatem faciat. Id cum nimis durum eſſe videatur; ſiquidem â filio tam jus divinum quam naturale requirit, ut Parentes honoret, iisque obſequium præſtet. Parentes enim non amare, ſumma eſt iniquitas, non verò agnoſcere, extrema inſania, ait Sen. *de benef.* 1. Parentibus etiam à natura implantatum eſt, ut ſumma eorum erga liberos ſit affectio. Ideoque Interpret. quomodo hic textus ſit accipiendus valdè laborant. Equidem Cujacius hunc textum amputandum & vocem Patrem delendam eſſe putat, eò quod à veteri libro abſit: ſed quia conſtans & communis hæc eſt lectio, quæ in omnibus reperitur exemplaribus, ea omninò retinenda eſt. Dn. Obrecht. *de feud. lib. 3. c. 4. n. 2.* Roſenthal. *de feud. c. 8. concl. 14. num. 2.* Dn. Zabel. *Inſt. Feud. diſp. 7. th. 5. lit. B.*

§. 4. Alii & DD. communiter ſtatuunt, Vaſallum adverſus parentes & liberos abſque ullâ limitatione ſe obligare poſſe,

quum

quum textus Juris feud. in d. c. un. ſit expreſſus: quod licet durum ſit & rationi naturali obſiſtat, ſervandum tamen id eſſe in feudis, quod lex ita ſcripta ſit. *arg. l. proſpexit. 12. ff. qui & à quibus manum.* Alii tamen arbitrantur, Vaſallum quidem ſe contra parentes & liberos obligare poſſe, non tamen ſimpliciter, ſed ſecundum quid; in iis nimirum caſibus, in quibus patriam vel religionem oppugnant. *arg. l. minimè 35. D. de relig. & ſumt fun. l. ult. C. de Delat. lib. 10. l. 11. D. ad L. Iul. de annon*: Sonsbec. *de feud. part. 11. n. 38.* Ut & in iis, in quibus dominum injuſtè offendunt, dum enim in his caſibus jus naturale oppugnant, non immeritò iterum oppugnantur. Siquidem beneficio juris naturalis frui non debet, qui contra jus naturale peccat. & qui contra leges aliquid committit, earum privilegiis gaudere non debet. *l. auxilium. 37. ff. de Minor. l. fin § fin. verò 12. C. de jur. delib.* Vult. *de feud. lib. 1. cap. 10. n. 33. §. alij diſtinguunt.* Dn. Obr. *d. l. n. 12.* Dn. Zabell. *d. diſp. 7. th. 5. lit. B.* Si hæ limitationes non admittantur, conſuetudo iſta tanquam impia, juri naturali & Divino contraria, meritò rejicienda eſt, ut ſentit Sonsbec. *d. l. n. 36.* cum quod non ratione, ſed errore primum, deinde conſuetudine obtendum eſt, in ſimilibus aliis non obtineat. *l. quod non 39. ff. de LL.* & licet Vaſallus juraverit, non tamen ad id obſervandum hoc in caſu obligatur, ſiquidem juramentum ultra conſenſum Vaſalli non eſt extendendum; quod & aliàs non debet eſſe vinculum iniquitatis; contraq; bonos mores præſtium non eſt obligatorium, *c. non eſt obligatorium. d. R. I. in 6. ubi Gloß.* & Dynus.

§. 5. A generali tamen ſuperius tradita regula expreſsè excipitur. Primo Imperator vel Rex. *c. un. de nov. form. fid. c. un. §. ult. de probib. feud. alienat. per Frid. 2. F. 55.* Eſt enim Imperator mundi Dominus. *l. deprecatio 9. ff. ad L. Rhod. de jactu,* omniaq; principis eſſe intelliguntur *l. bene à Zenone 3. §. 1. C. de quadrien. præſcript.* & ut Bald. notat *in c. un. qual. Dom. propriet. priv. 2. F. 47. n. 43.* Eſt Imperator velut corporalis mundi Deus & tamquã ſtella matutina in medio nebulæ meridionalis, eminet inter omnes Reges: Quare ſicut qui fidelitatem jurat, non jurat contra Deum: Ita nec contra Imperatorem. Quia in omni juramento nominatim excipi debet, & ſi non excipiatur, tacitè tamen exceptus intelligitur, uti tradunt D.D. *in c. un. de probib. feud. alienat. per Frid. 2. F. 55.* Borchold. *de feud. c. 4. n. 23.* In

Digitized by Google

In omni enim juramento autoritas ſuperioris, tam ex conventione expreſſa, quam tacita excepta cenſetur. Seraphin. de Seraphin *in tract. de privileg. juramen. privil. 47. num. 7.* Zaſ. *in tract. feud. part. 7. num. 22.* Covarruv. *relect. c. peccatum part. 2. §. 9. num. 8.* Hartmannus Piſtor. *quaeſt. feudal. 47. num. 32.* Id quod obtinet in Vaſallo non Ligio, ſecus eſt in Ligio, qui ſe adverſus omnes, nullo excepto, obligare debet: ſolus enim Imperator Vaſallum Ligium habere poteſt, qui cum ſupremus ſit Dominus, & nemini niſi Deo ſubjectus, nullus etiam excipi poteſt. Hoc etiam exaudiri debet de iis, qui ſuperiorem non recognoſcunt, ut & hi in juramento fidelitatis excipiantur. Militat enim in his eadem quæ in Imperatore ratio. Dd. *in d. c. unic. 2. Feud. 55.* Laudenſ. *num. 7.* Afflict. *in c. unic. denov. ſerm. fid. 2. Feud. 7. num. 7.* Vult. *d. cap. 10. num. 9. in fin. verſ. & adeo quidem.*

§. 6. Sic etiam excipitur propria perſona Vaſalli. Nam licet allegati textus generaliter loquantur nec expreſsè perſonam ipſius Vaſalli excipiant; ipſo jure tamen excepta videtur, tum quod in generali ſermone & diſpoſitione ſemper perſona loquentis excipiatur. Nec in his conſenſiſſe videatur, quæ ſibi nocent. *arg. leg. 1. ff. de Senat. & l. Paulus 29. §. in. ff. de pignor. l. ſi mercedem. 53. §. ult. ff. de act. emt. l. inquiſitio 28. C. de ſolut. c. petit. de jurejurand.* Roland. â Valle. *Vol. 3. conſil. 5. num. 69.* Tum quod ordinata charitas incipiat â ſeipſa. *l. praeſes 6. C. de ſervit. & aquae c. nam ſatis. diſtinct. 88. c. ſane cavendum: de poenit. diſtinct. 3. cap. ſi non licet 23. quaeſt. 5.* Schrader. *de feud. part. 7. cap. 1. num. 20.* Et nemo præſumitur conſenſiſſe in id quod contra ſeipſum eſt. Vult. *de feud. lib. 1. cap. 10. num. 28.* Id quod etiam Interpp. trahunt ad uxorem Vaſalli. Cum enim hæc cum marito una ſit caro, inter quos individua vitæ conſuetudo intercedit, hanc etiam tacitè exceptam eſſe intelligitur. Roſenthal. *cap. 8. concl. 14. num. ult.* ubi allegat. Speculatorem *tit. de feud. §. quoniam. quaeſt. 17. n. 33.*

§. 7. Conſimiliter patria quoque in fidelitate excepta cenſetur ita, ut contra eam Dominum juvare Vaſallus non teneatur

tur

tur. *arg. l. 2. de l. & l. l. minime. 35. ff. de Religioſ. & ſumpt.fun.* Eſt enim patria, teſte Cicerone, antiquior parens, quam ſi quis curaverit, maior ei profectò, quàm parenti debetur gratia. Et omnia quæ à nobis geruntur, non ad noſtram utilitatem & commodum, ſed ad patriæ ſalutem conferre debemus, ut idem teſtatur Cicero. Neque piè neque honeſtè agunt qui patriam Tyrannide armata preſſam negligunt, ſuæ tantum vitæ & ſalutis rationem ducentes. Plutarch. *in pelog.* Vult. *d. cap. 10. num. 31.* Borchold. *cap. 7. num. 42.* Sylvan. *de recog. feud. quæſt. 109. num. 17.* Sonsbec. *part. 11. num. 35.* Et huc referri etiam poteſt religio, quæ tacitè quoque excepta eſt. *arg. cap. juratos. 15. quæſt. 5. cap. ea te extr. de jureiur.* Non enim minus hæc quam patria cuilibet chara eſſe debet, quippè quòd fulcrum Imperiorum ſit, ſervare religionem. Lipſ. *in præfat. ad Polıor.* Et à Plutarch. *contra Gol.* vinculum vel coagulũ omnis ſocietatis, & juſtitiæ firmamentum religio vocetur. Unde Lipſ. *lib. 4. cap. 2. Polit.* inquit: Tolle hoc vinculum: vita hominum ſtultitia, ſcelere, immanitate complebitur. Schrader. *de Feud. part. 6. c. 5. n. 6.*

§. 8. Denique expreſsè excipitur Dominus antiquior *in d. c. unic. §. ult. Hic finitur lex. 2. Feud.* 28. Etenim cum huic ad fidelitatem prius ſeſe obligaverit Vaſallus, non poteſt poſteriori Domino adverſus priorem illum ſe obligare, conditionemq; prioris reddere deteriorem. juramentum namque prius infirmari nequit per poſterius. *c. intellecto in fin. de jureiurand.* Gabriel Rom. *Commun. concl. lib. 6. concl. 9. num. 3.* Eſt autem antiquior Dominus is, definiente Scradero *d. l.* à quo ille Vaſallus feudum primo acquiſivit; vel à quo maiores illius Vaſalli feudum illius acquiſiverunt, licet poſeſſio huius feudi poſterius ad Vaſallum pervenerit. Dd. *in d. c. unic.* Laudenſis *num. 8.* Alvarott. *num. 6* Afflict. *num. 7.* Schenck. *num. 4.* Sylvan. *de feud. recog. quæſt. 109. num. 13.* Hartman. Piſtor. *quæſt. 47. num. 34. & ſeqq.* Schrader. *c. 5. num. 7. & cap. 6. num. 20. & 21.* Dn. Ritterſh. *part. feud. lib. 2. cap. 1. quæſt. 24.* Vult. *d. c. 10. num. 10.* Et Tantum de Perſonis.

THEOREMA

Digitized by Google

De omnibus feudis autem fidelitas præſtanda, de quibus Vaſalli ſunt inveſtiti.

EXEGESIS.

§. 1. SEquitur objectum fidelitatis, quod eſt feudum. Hujus enim intuitu fidelitatem Vaſallus præſtat, & hoc ſublato fidelitas etiam corruit. *c. un.* §. *ult. per quos fiat inveſtitura.* 2. F. 3. & ibi Dd. D. Obrecht. *d. lib.* 2. *c.* 10. *n.* 54. Proinde cum nullum feudum abſq; fidelitate conſtitui poſſit, generalis hæc regula obſervanda, quod de omni feudo Vaſallus fidelitatem facere cogatur, ſive id fiat juratò, ſive injuratò; quanquam juramentum, quod fidelitatem concomitatur, pacto & conventione Domini & Vaſalli remitti poſſit, uti conſtat ex *d.* §. *ult.* 2. *F.* 3. *& theorem:* 2. §. 4 *dictu m eſt.*

§. 2. Qui textus cum generaliter loquatur, generaliter etiã eſt accipiendus, proinde non eſt diſtinguendum inter feudum Propriũ & Improprium, ſive conditionatum propter, quod non niſi certa & expreſſa ſervitia præſtari debeant, ſicuti opinatur Pariſ. *lib.* 1. *Conſil.* 4. *n.* 16. Cuius hæc ſunt verba; in feudo conditionato ita ſuccedit fœmina, ſicut & maſculus, & in eo non præſtatur juramentum fidelitatis, niſi expreſsè hoc actum ſit. Nam â ſervitiis ad fidelitatem negativè argumentatio non procedit. Siquidem ſervitia, propria naturalia, ut FF. loquuntur, non ſubſtantialia feudi ſunt, quæ ſine eius corruptione abeſſe poſſunt, fidelitas autem & eius comes, niſi remittatur, juramentum, de ſubſtantia feudi eſt, quæ abſq; deſtructione eiuſdem abeſſe nequit. Et ita ſentiunt Alexander *lib.* 1. *Conſil.* 29. *n.* 6. Schrader. *part.* 6. *c.* 4. *n.* 5. Obrecht. *d. l. n.* 55.

§ 3. Idem dicendum de feudo Franco, quod licet feudum ſit degenerans, & â ſervitiis liberũ, nihilominus feudum manet, & in reliquis omnibus naturam feudi propriam retinet, juxta *c. un. de feud. non habent. prop. feud. natur.* 2. *F.* 45. ideóq; de ipſo etiam fidelitas præſtanda. Aliàs contraria contineret hæc conceſſio, ſi vellemus plane eſſe liberum â fide, & diceremus nihilominus feudum eſſe. Iſern. & Dd. *in c.* 1. *ex quib. cauſ. feud. amitt.* 2. *F.* 23. *n.* 12. Curt. Jun. *p.* 1. *quæſt.* 8. *n.* 27. *&* 28. Et voces Francum vel liberum ad ea quæ in fide-

litate

ſtate continentur non extendit. Joan. Andreæ *in addit. ad ſpecul. t. de praſcription.* quem ſequuntur Jaſon *in prælud. feud. num. 114.* aris de puteo *de redintegrat. feud. c. 95. n. 11.* SchneidWin. *part. 1. n. 54.* chrader. *part. 2. c. 4. n. 7.* pactum enim ſuper una re interpoſitum, on extenditur ad rem aliam. *l. ſi unus 28. ff. de ſervit. prædior. urban. l. ſi certa 31. C. de tranſact.* D. Bocer. *de inveſtit. feud. c. 4. n. 15.* Hancq; ſenntiam præter modò allegatos defendunt Jacobin. de S. Georg. *in b. qui quidem n. 74.* Zaſ. *part. 3. n. 3.* Sonsbec. *part. 4. n. 5. & 6.* Jul. Clar. *§. feud. quæſt. 16. n. 2.* Roſenthal. *c. 2. concl. 59.*

§. 4. Nec diſtinguendum an feudum modicum ſit an magnū? ud enim non minus feudum eſt, & feudi naturam habet atq; hoc, i itaq; magis & minus, ſecundum philoſophorū tradita, ſpeciem on varient; Idemq; jus ſtatuatur de rebus minimis quod de maximis: *arg. §. gallinar. Inſt. de acquir. rer. Domin.* ubi Gloſ. & Dd. *l. quamvis ff. ut in poſſ. legat.* Bart. *in l. 4. de In. Integ. reſtit.* Tyraquell. *in tract. de jur. in reb. minim. part. 1. in fin.* Jaſon. *in auth. quæ rem. C. de SS. Eccl. n. 16.* Quid obſtat, cur de iis fidelitas non ſit præſtanda? Id quod etiam probatur expreſſo textu Juris Feud. *in c. un. §. ſiquis de manſo. 5. ſi de inveſtit. feud. conten. fuerit. 1. F. 4.* ubi ſi quis de manſo inveſtitus fuerit, e incremento eius jurare debet, & ſic etiam de ipſo manſo: quū acceſſorium ſuū ſequatur principale. Cuius ſententiæ defenſores ſunt Curt: Jun: *part. 3. n. 14.* Roſenth. *d. c. 6. concl. 67.* Bocer. *d. c. 4. n. 14.* Vult. *b. 1. c. 7. n. 39.* ubi ſimul teſtatur, quod licet hæc ſententia de jure ſit erior, contraria tamen, quod de feudo modico juramentū non præſtetur, uſu recepta & approbata ſit, cuius aſſeclæ ſunt Bald. *Conſil. 16. ol. 1. & in c. 1. §. eſt & alia. quæ fuit prim. cauſ. benef. amitt.* Matth. de Aflict. *in c. 1. §. nulla autem per quas fiat inveſtit. n. 5.* Sonsbec. *part. 11. n. 34.* Weſenbec. *c. 5. n. 7.* Mozz. *de ſubſt. feud. n. 12.* Schrad. *part. 6. c. 4. n. 18.*

§. 5. Sed quid dicendum de iſto feudo, de quo non ſervitia ſed cenſus annuus præſtatur? Anne de eo etiam fidelitas præſtanda? Negat id quidem Jaſor. *in l. 1. C. de jur. Emphyt. n. 50. & ſeq.* Curt: Jun: *part. 3. memb. 1. n. 7.* ideò quod conceſſio hæc magis ſapiat naturam Emphyteuſis quam feudi, & propterea fidelitas non ſit præſtanda: ſed quia pacto fieri poteſt, ut interveniente pecunia feudum acquiratur, quemadmodū conſtat *ex c. un. ibi. niſi à Domino redemerit. quemadm. feud. ad fil. pertin. 1. F. 24. cap. 1. prin. ibi. cum Dominus accepta pe-*

 cunia

cuniâ partem feudi dedit. de inveſtit. in marit. fact. 2. F. 15. Ruding. *meth. jur. feud. lib. 1. c. 4. n. 5.* & Dominus pro feudi conceſſione rem aliam vel pecuniam exigat. *c. un. verſ. quod ſi cum equis. ibi: vel pecunia. de frat. de nov. benef. inveſt. 2. F. 12.* Ampliſs. Dn. D. Locamer: Præceptor & Fautor meus ætatem colendus *diſput. feud. 2. th. 3. lit.* D. dubitandũ eſt minimè, quin fidelitas de hoc feudo præſtanda ſit. Licet enim quoad pecuniam feudi natura aliquatenus immutetur, & propterea etiam improprium feudum cenſeatur, quoad alia tamen capitula rectam & ſimplicem ſuam naturam retinet. *arg. cap. 1. de feud. non hab. propr. nat. 2. F. 48.* Ruding. *d. l.* Et ita ſtatuunt Bocer. *de inveſtit. feud. c. 4. n. 15.* Albert. Brun. *int. conſil. Feud. var. auth. conſil. 41.* Roſenthal. *c. 6. concl. 39.*

§. 6. Sic etiam de feudo, quod Domino per Feloniam apertum, cuiuſq; poſſeſſione Vaſallus privatus, & eidem rurſus collatum ſit, fidelitas eſt facienda. Videtur enim hoc modo feudum ſecundâ vice collatum quaſi noviter Vaſallo acquiſitum. Quippe cum feudum ad Dominum, ſive ipſo jure, ſive per ſententiam pervenerit, poſſeſſionemq; eius arripuerit, Vaſalli jus quod in eo habuit, reſolutum deſinit; & ſi rurſus ei conferatur, novi contractus jure id fit in re, quæ per omnia deſiit eſſe Vaſalli, & quæ Domini facta eſt. Proinde etiam de novo fidelitas promitti debet. Id quod etiam dicendum videtur eo in caſu, ſi Dominus Vaſallo feloniã remittendo dixerit, ſe ipſum in integrum vel in priſtinum ſtatum reſtituere. Nam licet natura reſtitutionis, condonationis, remiſſionis ea ſit, ut tantũdem reddat, quantum læſio abſtulit, *l. ſed & partes. 12. pr. ff. quod met. cauſ. l. quod ſi minor. 24. §. reſtitutio. ff. de minor. l. 1. l. fin. C. de ſentent. paſſ.* ubi Bart. Id tamen potius ad feudi naturam, quæ hac remiſſione non mutatur, quam ad fidelitatem trahendam eſſe autumo. Et tantum etiam de objecto fidelitatis.

THEOREMA VII.

Quæ principaliter conſiſtit in reverentia Seniori debita, Taciturnitate, & commodo Domini.

EXEGESIS.

§. 1. JAm ad formam transgredior, quæ duplex eſt, Eſſentialis & Acci-

Accidentalis, hæc conſiſtit in conſideratione temporis & loci, quādo ſcil. & ubi fidelitas præſtari debeat; de quibus in ſequentibus. Illa tum in pactis inter Dominum & Vaſallum initis, tum iis quæ etiam extra conventionem fidelitati ineſſe debent; quia verò fidelitatem duplicem ſupra conſtituimus, ſingulas ſpeciei formas conſiderabimus.

§. 2. Et quidem non-juratæ fidelitatis forma eſt vel generalis vel ſpecialis; Illa in eo verſatur, ut quis Domino ſuo fidelis ſit, ſicut debet eſſe Vaſallus *c. un. qualit. jur. deb. Vaſall.* 2. F. 5. & *c. un. de nov. form. fidel.* 2. F. 7. Et hæc duo continet. 1. ut quis Domino à quo feudum accepit ſit fidelis. Daß der Lehnman dem Herrn getrew vnd hold ſey. Sub qua conditione feudum ſemper intelligitur conceſſum, ut volunt Curt. Jun. *part. 5. num. 2. verſ. iſta ergo.* Afflict. *Deciſ. Neapol. 282. num. 15.* Vult. *de Feud. lib. 1. cap. 6. num. 8.* 2. Deinde ut quis Domino ſit fidelis, ſicut Vaſallus eſſe debet. *d. c. un. Qual. jur. deb. Vaſall. 2. F. 5.* Quod de jure Saxonico ita exprimitur. Daß er (Vaſallus) Jhme (Domino) alſo getrew vnd hold ſein wolle / mit der folg als durch recht der Mann ſeinen Herren ſein ſoll. Schneid. *part. 5. num. 29.* Quibus verbis hæc fidelitas ab omnibus aliis rebus, quæ fidem exigunt, ſecernitur. Nam licet etiam in iis fides obſervanda veniat, unde quidam nolunt fidelitatem eſſe feudi formam propriam: Non tamen ibi ita exuberanter & ſecundum excellentiam requiritur, ut hoc loco, ubi potiſſimam & ſingularem partem conſtituit, idq; non ſimpliciter, ſed quatenus innixa eſt uſufructui in re immobili conſtituto, uti tradit Vult. *d. c. 6. n. 9.*

§. 3. Specialis forma fidelitatis ea, quæ generaliter Vaſallus promiſit, ad certa refert capita, ita ut qui generaliter, fidem Vaſallaticam ſtipulatur, ſex in memoria ſemper habere debeat, ut loquitur Feudiſta *in c. unic. de form. fid. 2. Feud. 6.* Incolume nimirum, tutum, honeſtum, utile, facile, poſſibile. Quæ capita à Dn. Vult. *lib. 1. cap. 10. num. 21.* ad tria referuntur, Reverentiam Domino à Vaſallo exhibendam, Taciturnitatem & utilitatem Domini. Dn. Obrecht hæc etiam ad tria reducit, veluti ad corpus, ad animam & ad facultates Domini. Corpus reſpicit incolume & tutum; Animam honeſtum; faculcates utile, facile, & poſſibile. Et hæc capitula ſemper fidelitati ineſſe intelliguntur, nec ut exprimantur

neceſſe

Digitized by Google

neceſſe eſt, generaliter quippe fidelitatem promittere ſufficit, ut conſtat ex *cap. unic. qual. Vaſall. jur. deb. 2. F. 5.* Ruding. *in meth. jur. feud. tit. 1. cap. 14. n. 3.* Quæ jam aliquantò prolixius explicantem audiemus feudiſtam.

§. 4. Et quidem Incolume ſic explicat: ne ſit ſcil. Vaſallus, in Damno Domino ſuo in corpore ſuo, id eſt, Vaſall⁹ in id eniti debet, ut non ſolum dominus à ſe damnum ſentiat nullum, ſed & ne alius ipſi, ſive in corpore ſive in vita ſua ullum Damnum, inferat. ſic enim ait Feudiſta *in c. unic. de nov. form. fidel. 2. F. 1.* in verbis, *nunquam ſcienter ero in conſilio vel in facto, quod tu amittas vitam vel membrum aliquod, vel quod tu recipias in perſona aliquam læſionem. Et ſi ſcivero vel audiero de aliquo, qui velit aliquod iſtud contra te facere, pro poſſe meo, ut non fiat, impedimentum præſtabo.* Quapropter ſi Vaſallus Dominum feudi, ſi potuerit non liberaverit, non immeritò feudo privatur. *c. unic. §. fin. de alienat. feud. patern. 2. F. 39.* Ut & non minus ſi in pugna Dominum dimiſerit, & cum eo non laboraverit ſi potuerit. *c. un. §. ſi quis miles. de feud. ſine culp. non amittend: 1. F. 21. c. un. §. item qui Dominum. quæ fuit prim. cauſ. benef. amitt. 2. F. 24.*

§. 5. Tutum duo inſe continet, ne ſcil. Vaſallus Domino in damno ſit vel de ſecreto ſuo, vel de munitionibus ſuis, per quas tutus eſſe poteſt. *d. c. un. de form. fid. 2. F. 6.* Quoad primum Vaſallus promittit, ſecreta Domini ſui conſilia, ſibi concredita & commiſſa non revelare, niſi è re Domini id fore cognoverit, ſic namq; iterum habent verba Feudiſtæ. *d. c. unic. 2. Feud. 7. Et ſi aliquid mihi de ſecreto manifeſtaveris, ſine licentiâ tua nunquam pandam, vel per quod pandatur faciam.* Non enim meliora ſunt conſilia, quam illa quæ ignorat adverſarius. Val. Max. *lib. 3. cap. 26.* Quare ſi Vaſallus credentiam Domini ad eius damnum ſcienter manifeſtaverit, feudo privandus erit, ſecundum *c. unic. quib. mod. feud. amitt. 1. F. 5.* ubi Feudiſta, ut feudo Vaſallus privetur duo requirere videtur. 1. ut fiat ſcienter. Maleficia quippe voluntas & propoſitum delinquentis diſtinguit. *l. qui injuria 53. ff. de furt.* & crimen tunc contrahitur ſi & voluntas nocentis intercedat. *leg. 1. C. ad L. Corn. de ſic. l. nec exemplum. 20. C. ad l. Corn. de falſ. l. fraudis 79. ff. de R. I.* 2. ut fiat ad Domini Damnum. Hæc enim duo Feudiſta conjungit, uti notant *in d. c. un.* Gloſ. & Alvarott. cũ quo conſentit

d. c. un.

d. 6. num. 2. F. 7. ibi nec pandam alii ad eius detrimentum. Si itaque Dominus ex iſta Conſilii revelatione Damnum nullum ſentiat, non quidem Vaſallus feudi jacturam patitur. Actus enim nullus nullam meretur pœnam, Dn. Bocer. *de jur. & Com. ſen. & Vaſall. lib. 2. c. 6. n. 259.* ſed nec ipſum craſſa iſta Imprudentia excuſat penitus. Nam & de jure Civili qui hoſtibus belli conſilia detegunt, capitis pœnam luunt *l. omne delictum 6. §. exploratores. 4. ff. de re militari.* aut vivi exuruntur, aut furca ſuſpenduntur *l. ſi quis 38. §. transfuga. 1. ff. de pœnis.* Videatur Dn. Bocer. *c. 1. n. 17.* Quoad alterum pollicetur Vaſallus, quod Domino ſuo, in munitionibus ipſius, nullam velit creare moleſtiam, vel ut alius creet permittere. Dn. Bocer. *d. l. n. 15. & ſeq.* vel quemadmodum Schrader habet *part. 6. c. 6. num. 99.* quod Vaſallus ipſe vel hoſtibus nolit ſignum dare, vel dux exercitus à Domino feudi creatus hoſtibus in bello cedere, arcem Domini tradere, aut exercitum hoſtibus prodere; ſed munitiones & caſtra Domini pro viribus defendere, aut in defendendis illis Dominum pro virili juvare velit. Alias de jure Civili incidit etiam in pœnam criminis læſæ Maieſtatis *per l. 1. 2. & 3. ff. ad L. Iul. Maieſt.*

§. 6. Honeſtum interpretatur dupliciter 1. ne in damno Vaſallus ſit Domino de ſua juſtitia. 2. vel de aliis cauſis, quæ ad honeſtatem ejus pertinere videntur. Priori modo ſi conſideratur honeſtum, ad id ſeſe obligat Vaſallus, quod, ſive judicem in Domini cauſa agat, ſive reum, ſi à Domino conveniatur, ſive etiam actorem, ſi ipſe Dominum conveniat, ſemper in id incumbere velit, quo juſtitia, quæ ſuum cuique tribuit, adminiſtretur & promoveatur. Proinde ne ullum quidem actuum judiciorum, qui à Roſenth. *in tract. feud. c. 10. concl. 24. num. 5. & ſeqq.* Dn. Bocer. *in ſep. allegat. tract. d. c. 1. n. 19. & ſeq.* & hos ſequuto Dn. Melaſ. *in coll. de fidel. & jur. Client. Diſp. 4. th. 9. lit. b. & c.* recenſentur, impedire poteſt: ut ita Vaſallus qui alium judicem quam Dominum in cauſa feudali quærit, merito feudo privandus ſit. Hoc enim ipſo Domini juſtitiam contemnit; hoc contemptu Domino adfert damnum & ita honeſtatem Domini lædit. Dn. Bocer. & Melaſ. *dd. ll.*

§. 7. Alterum membrum honeſti generale eſt, complectens omnes res, quæ ad honeſtatem Domini pertinent. Cavere itaque Vaſallus debet, ne quid committat, quo exiſtimatio, ſtatus & digni-

tas Domini lædi, & imminui, vel in ipſius injuriam vel, contumeliam vergere poſſit; ſed potius ea omnia pro virili augere & tueri ſtudeat, ſicuti hoc explicat Feudiſta *in c. un. de nov. form. fidel.* 2. F. 7. *ibi, vel quod tu recipias in perſona aliquam læſionem, vel injuriam, vel contumeliam, vel quod tu amittas aliquem honorem, quem nunc habes, vel in antea habebis. & ibi: & nunquam ex perſona faciam aliquid ſcienter, quod pertineat ad tuam & tuorum injuriam vel contumeliam.*

§. 8. Quæ cum generaliter tradantur, omnes omninò actus à Vaſallo vitari debent, per quos Domini honor & exiſtimatio, vel per ſe, vel per conſequentiam, diminui poſſit, veluti ſi fidelis cucurbitaverit Dominum h. e. cum uxore eius concubuerit, vel concumbere ſe exercuerit, aut cum ea turpiter luſerit: vel ſi cum filia, aut nepte ex filio, aut cum nupta filio, aut cum ſorore Domini cum eo habitante concubuerit, jure feudum amittit, uti traditur *in c. un. §. itẽ ſi fidelis. quib. mod. feud. amitt.* 2. F. 5. ubi Ampliſſ. Dn. D. Bitſchius *in prælect. publ.* Dn. Bocer. *d. l. n.* 21. ſic etiam, quando Vaſallus famoſam actionem cõtra Dominum inſtituit, aut exceptione tali utitur, qua Domini perſona ſugillatur. Reverentiæ enim nil magis contrarium, aut exiſtimationem & dignitatem gravius lædit quam famoſa actio aut exceptio. Id quod de perſonis, quibus honor & reverentia debetur, de jure Civili expreſſe cautum reperitur *in l. non debet.* 11. §. 1. *ff. de dolo malo l. apud celſum.* 4. §. *adverſus.* 16. *ff. de dol. mal. & met. except. l. honor.* 2. *l. parens.* 5. *ff. de obſeq. par. vel patr. præſt. l.* 1. *l. ſi manumiſſor.* 4. *C. eod.* Roſenth. *tract. Feud. c.* 10. *concl.* 23. *num.* 1. *& ſeqq.* Schrad. *part.* 6. *c.* 7. *n.* 19. Dn. Ritterſhuſ. *partit. feud. lib.* 2. *c.* 1. *q.* 14. *& ſeq.* Petr. de Bella pert. *in tract. feud. c.* 9. *n.* 16.

§. 9. Et hoc quoq; trahunt Dd. ad interdictũ recuperandæ poſſeſſionis Vnde vi, quod Vaſallo adverſus Dominum feudi denegatur, eò quòd hoc interdicto, adverſus quem dirigitur, exiſtimationem ejus non leviter gravet, & atrocitatem facinoris in ſe contineat; Unde & libertus contra Patronum eo uti nequit per *l.* 1. §. *interdictum.* 43. *ff. de vi & vi armata. l. ſi ſuperſtite.* 5. *verſ. ſane ſi. C. de dolo malo c. un. §. item fidelitas, quæ fuit prim. cauſ. benef. amitt.* 2. F. 24. Roſenthal. *d. c.* 10. *concl.* 23. *n.* 2. *&* 5. Zaſ. *part.* 11. *n.* 24. Fornet. *de feud. c.* 16. *n.* 3. Dn. Ritterſhuſ. *d. c.* 1. *q.* 2. Menoch. *recup. poſſ. remed.* 1. *n.* 95. Interdictum tamen uti poſſidetis adverſus Dominum,

num, quippe quod exiſtimationem eius non lædit, nec famam ſugillat, intentari omninò poteſt. Roſenth. *d. concl.23.n.6.* Menoch. *de rec.poſſ. remed.3.n.124.* Quemadmodum & actio criminis læſæ Maieſtatis, & perduellionis. Hæ enim innituntur ſaluti Reipublicæ, quam ſaluti Senioris anteponere tenetur Vaſallus. Schenck. Bar. *ad tit.24.§.item ſi delator.n.3.& 4.* Dn. Rittersh. *d.l.q.8.*

§. 10. Sed an ex eodem fonte Vaſallus Dominum ſuum absque venia in jus vocare poſſit, dubio non caret? equidem in jure feudali expreſsè id deciſum non reperitur. Et ſi veterem morem reſpiciamus, de jure Civili quidem cautum eſt, quod illæ perſonæ, quibus reverentia debetur, ſine Magiſtratus permiſſu in jus vocare nequeant. Ita enim inquit Modeſtinus *in l. generaliter.13. ff. de in jus vocando. Generaliter eas perſonas, quibus reverentia præſtanda eſt, ſine juſſu prætoris in jus vocare non poſſumus*: Cui adſtipulatur Imperator Gordianus *in l. venia. 2. C. eod.* quod edictum de in jus vocando ſine venia Magiſtratus, ad omnes perſonas pertineat, quibus naturali ratione honor debetur. Verum ſi noſtra tempora conſideremus: Obſervantia eſt in contrarium, ſicuti docent Camerales: Hartm. Hartm. *obſerv. 45. tit. de feud.* ubi tradit in cauſa Naſſaw contra Epiſcopum Caminenſem, in Camera Imperiali ita judicatum fuiſſe. Gail. *de pignorat. obſerv.15. n. 4.* Mynſing. *Cent 4. & ibi in addit.* Magnificus Dominus Vicecancellarius, Alrnoldus de Reyger patronus meus venerandus. Quam ſententiam ut communiorē etiam defendunt Clarus *in recept.ſentent.§.feudum.q.25.* Kirchov. *in comm.opin.cent.4.concl.97.* Fichard. *in addit.ad comm. opin. Villalobi lit.V. verb.Vaſallus ſine venia.* Mol. *in cōm ad cōſuet.Pariſ.tit.1.§.1.gl.4. verb.ſed iſta opinio.* Intrigl. *de feud.q.58.n.21.* Dn. Obrecht. *de feud.lib. 3.c.1.n.10.& ſeqq.* Juramentum tamen calumniæ à Domino ſuo Vaſallus exigere nequit, *per text.expreſ.in c.un. §. in quibus etiam. 1. de conſuet.rect.feud.2.F.33.* Dn. Obrecht. *in tract.de juram. calum.c. 8.n.18.* Roſenth. *in tract.feud.c.12.concl.5.n.10.* Dn. Rittersh. *d.c. 1. q. 12.* Donel. *24.comm.15.* Borchold. *de feud.c.10.n.39.*

§. 11. Utile ſtipulatur Domino Vaſallus, ne ſit ei in damno de ſuis poſſeſſionibus. Id eſt, Vaſallus omnibus modis præcavere debet, ne vel ipſe Domini bonis (per poſſeſſionem enim quasvis res Domini denotari, annotat ex Alvarotto & aliis ibi allegatis Dn.

Bocer.

Digitized by Google

Bocer. *d. l. num. 21.*) damnum aliquod inferat, aut ab aliis inferri permittat, ſed potius ea tueatur atque defendat, & in iisdem retinendis, augendis vel recuperandis omne auxilium & conſilium præſtet *c. un. ibi & ſi contigerit te rem aliquam, &c. de nov. form. fid. 2. F. 7.* Ampliſſ. ac Conſultiſſ. Dn. Andreas Kobl. Adfinis & promotor meus perpetim colendus *in tract. de ſervit. feud. part. 4. n. 68.* Schrader. *de Feud. part. 6. cap. 6. num. 14.* Quod ſi itaque Vaſallus Domino ſuo grandem patrimonii jacturam intulerit, feudo ſuo privatur. *c. un. §. præterea. verſ. aut patrimonii. quæ fuit prim. cauſ. benef. amitt. 2. F. 24.* Non minus etiam ſi reſciêrit talem matrimonii grandem jacturam aliquem molientem, & Dominũ de hoc non reddiderit certiorem, ut periculum declinare poſſet, *d. §. præterea.* Sonsbec. *part. 12. num. 15.* Weſenbec. *c. 15. num. 7.* Zaſ. *part. 10. num. 63.* Borchold. *cap. 8. num. 106.* Clarus *in §. feudum. quæſt. 57. num. 1.* Roſenthal. *d. tract. c. 10. concl. 11. num. 40. & ſeqq.* Dn. Bocer. *d. l. num. 22. & 23.*

§. 12. Facile promittit Vaſallus Domino, ne id bonũ quod Dominus ſuus facere leviter poterat, faciat ei difficile *d. c. un. de form. fidel. 2. F. 6.* Proinde ſi Vaſallus ipſe, vel ipſius conniventiâ alius artibus ſuis Domino reddit difficile, quod ille ſine magno, vel etiam ullo labore & negotio adipiſci & efficere potuiſſet, feudi privationem incurrit. *d. c. un. verſ. ſed quia. ibi, ſi beneficio vult dignus videri. & ibi, non ſufficit abſtinere à malo. de form. fidel. 2. F. 6.* ubi Baro Schenck. *verſ. de quinto.* Schrader. *part. 6. cap. 6.* Dn. Obrecht. *tract. feud. lib. 2. c. 10. num. 66.* Dn. Bocer. *d. tract. c. 1. num. 24. & ſeqq.* ubi Quatuor caſus huius capitis ſive membri ponit, in quibus Domini facilitas impeditur, quem ſequitur D. Melaſſ. *in colleg. de fidel. & juram. client. diſp. 4. th. 10.*

§. 13. Poſſibile denique id continet, ne id quod poſſibile erat Domino, faciat impoſſibile. *d. c. un. de form. fid. 2. F. 6.* Id eſt, uti interpretatur D. Bocer. *d. l. num. 31.* poſſibilitatem Domino procurare dicitur Vaſallus, cum nullos omninò Domini conatus, resq; deſideratas poſſibiles interturbet, nec ſtrophis ſuis juſta eius vota poſſibilitate fraudet. Præterquam enim quod impotens hic & degener animus, vaſtitiesque viperina ab omni Chriſtiano, proboque viro abeſſe debeat, maximè Vaſallus ſibi à tali vitio caveat, ne

ne feudi jacturam patiatur. Schenck. *ad d. c. un. de form. fidel. verſ. de ſexto.* Si itaque Dominus filiam ſuam alicui præclaræ familiæ viro potuerit elocare, Vaſallus autem, filiam iſtam malis moribus eſſe imbutam, in vulgus ſparſerit, quo matrimonium impediret, feudo ex hac infidelitatis cauſa privari poteſt. Jacob. de S. Georg. *tract. feud. verb. qui quidẽ inveſtiti. n. 21.* ubi addit, quod ſummè deteſtandi ſint, & ſtellionatus crimine, cujus pœna eſt arbitraria, accuſari poſſint, qui bonis viris detrahunt. Schneidvv. *part. 5. num. 77. verſ. ſextò poſſibile.* Schrader. *d. part. 6. c. 6. n. 12.* Dn. Bocer. *d. l. n. 33.* ubi *n.* ſeq. & alium caſum habet.

§. 14. Et tantum de ſex capitulis, quæ, ut ſupradictum §. 5. fidelitati ſemper ineſſe intelliguntur. Unde & fidelitate ſimpliciter præſtita, abſque ulla mentione ejus, quid præſtitum ſit, omnia, quæ in veteri & nova forma fidelitatis ſcripta reperiuntur, expreſſa eſſe cenſentur, ideoq; Vaſallum ad ea ſe alligaſſe. Decius *vol. 3. Conſil. 19. n. 200.* Vult. *lib. 1. cap. 7. num. 40. verſ. ſunt autem ſex. ibi; hinc eſt vulgatum.* Sed an ſufficiat ad feudi amiſſionem, ſi Vaſallus faciat contra contenta fidelitatis? video dubitantem Duaren. *in comment. ad conſuet. feud. c. 4. num. 1.* quem ſequitur Niell. *diſp. 8. th. 5. lit. L. in fin.* ubi id nimis generale eſſe ſtatuit. Quia tamen grave eſt fidem fallere *l. 1. ff. de conſtit. pecun.* & hac ſemel violatâ ſemper in eadem defectus præſumitur. *arg. l. ſi aliquid. 12. C. de ſuſcept. præp. & arc. lib. 10.* ſufficientem omninò puto eſſe cauſam amittendi feudum, quando contra fidelitatis contenta agitur. Vaſallus enim qui juramento ſe obligavit, duplex delictum committit, delictum perfidiæ violatiq; pacti, & delictum perjurii, cujus pœna aliàs eſt, quod perjurus omnia beneficia legum, canonum & ſtatutorum quibus cavetur, quod credi debeat juramento alicujus, amittat. *c. parvuli. 14. cauſ. 22. quæſt. 5. c. teſtimonium. 54. X. de teſtib.* nec admittatur ad aliquam dignitatem, imò propter perjurium à dignitate deponatur. *l. Quoties C. de dignitatibus. c. infamibus de R. I. in 6.* Conſt. criminalis Caroli V. vult, quod perjuris priores articuli duorum digitorum, quibus falſum juramentum jurarunt, ſint amputandi. P. H. O. *part. 4. conſt. ult. art. 107.*

§. 15. Hactenus de forma fidelitatis non juratæ, ſequitur forma juratæ, quæ itidem eſt vel generalis vel ſpecialis; illa contine-

Digitized by Google

tur *in c. un. qual. jur. deb. Vaſall. Dom. fidel. 2. F. 5. ubi ſic jurare debere Vaſallum, dicit Feudiſta. Ego juro ad hæc Sancta Dei Evangelia, quod à modo in antea ero fidelis huic, ſicut debet eſſe Vaſallus Domino, nec id quod mihi ſub nomine fidelitatis commiſerit Dominus, pandam alii ad eius detrimentum, me ſciente.* In qua formula tria reperiuntur requiſita neceſſaria, quæ obſervata ſunt à D. Obrecht alleg. *lib. 2. c. 10. n. 20.* Primò enim, requiritur à Vaſallo, ut Domino juret: in hoc enim fidelitatem juratam à non jurata differre conſtat ex ſupra traditis Theor. 1. §. 2. & 3. Deinde jurat Vaſallus tactis ſacroſanctis Evangeliis; quod, quia expreſsè in forma juramenti ponitur, *d. c. un. 2. F. 5. & c. un. de nov. form. fid. 2. F. 7.* pro ſolennitate haberi debet ita, ut non ſolum præſentia Evangeliorum requiratur, ſed ea inſuper tangantur à Vaſallo *d. t.* quam ſolennitatem etiam Imperatorē Juſtinianū probaſſe, ex multorū textuum juris Civilis collatione optimè deducit Ampliſſ. Dn. D. Bitſch *in prælect. publ. ad d. t. 5. notab. 1.* Ultimò jurat Vaſallus, ſe fore fidelem, ſicut debet eſſe Vaſallus Domino. Quæ verba licet ſint generalia, omnia tamen ſub ſe comprehendūt, quæ ſupra fuſius ſunt explicata.

§. 16. Specialis juratæ fidelitatis forma, aut eſt Conventionis, aut ſpecialis conſuetudinis, aut juris communis. Et quia in omnibus negotiis, quæ conſenſu privatorum peraguntur, id ante omnia obſervatur, quod inter illos actum eſt. *l. ſemper. 35. ff. de Reg. Iur.* Ideoquè, cum de forma juramenti fidelitatis præſtandi quæritur, primò videndum, quid inter Dominum & Vaſallum ſpecialiter actum. Si enim id non ſit contra bonos mores, contra pietatem ac religionem, aut extra prohibitionem juris & negotii ſubſtantiam omninò ſervare debet, ſecundùm *l. juris gentium. 7. §. ait prætor. 7. ff. de pact. l. filius. 15. ff. de Condit. Inſtit.* Quare etiam pro conditione feudi à principum & aliorum Dominorum Conſiliariis peculiaris juramenti forma Vaſallis præſcribi ſolet; quod poſt Hottomannum *in Diſput. de feud. cap. 24.* ſuadet Dn. Bocer. *de inveſtit. cap. 4. num. 21.*

§. 17. Cautè tamen & providè conſiliarii agere debent peculiarem Vaſallis formam præſcribentes, ne forma illa nimis ſit generalis. Nam cum nimia generalitas cenſeatur captioſa. *l. ult. C. de pact. convent. l. cum Aquiliana. 5. ff. de tranſact.* Vaſallus jura-

ramentum

ramentum fidelitatis nimium generale, non cogitur Domino ſuo præſtare. Bald. *in c. un. §. nulla. per quos fiat inveſtit. 2. F. 3. n. 4.* Dn. Bocer. *d. c. 4. n. 21. verſ. cavendum.* Sic etiam quando de renovatione inveſtituræ agitur, cavere debent, ne formæ fidelitatis jurandæ inferant inſolita. Hæc enim juramenta, contra antiquam conſuetudinem vi metuque extorta præſumuntur. Bald. *in d. c. qual. Vaſall. jur. deb. 2. F. 5.* ibique Alvarott. *n. 2.* Jacobin. de S. Georg. *in verb. qui quidem inveſtit. num. 1.* Schrader. *Conſil. 21. num. 103.* Schneidvv. *d. part. 5. num. 80.* Et propterea Vaſallus fidelitatis juramenti formulam, inſolitis clauſulis refertam recuſare poteſt. Laudenſis, *in d. c. un. 2. F. 5. num. 2. & 3.* Borcholdt. *cap. 7. num. 39.* Vult. *c. 7. num. 40. verſ. debet autem juramentum.* quos ſequuntur Bocer. *d. c. 4. n. 21.* & D. Melaſſ. *d. diſp. 4. th. 17.*

§. 18. Si verò nihil inter Dominum & Vaſallum actû repeciatur, tunc ea obſervanda venit formula, quæ in unaquaq; regione frequentatur & cuiusq; loci conſuetudine recepta eſt, *d. l. ſemper. 34. ff. de R. I.* & quia in jure feudorum triplex inveniatur juramenti fidelitatis Vaſalliticæ forma *in c. un. qual. jur. deb. Vaſall. 2. F. 5. c. unde form. fidel. 2. F. 6. & c. un. de nov. form. fidel. 2. F. 7.* ex eo liquidum eſt, hanc non fuiſſe eodem tempore eandem, nec eandem eodem tempore ab omnib. promiſcuè Vaſallis fuiſſe præſtitam, ſed vel ratione perſonæ Dominorum, vel ratione perſonæ Vaſallorum, vel etiam ex natura & conditione feudi, vel etiam pro ratione loci, conſuetudinis ſpecialis variam fuiſſe, uti tradit Vult. *d. c. 7. n. 40.* ut igitur nihil novi ſit, quod & hodie non una & eadem, ſed alia atque alia in obſervatione & uſu Vaſallagii repetiatur formula. Dn. Melaſſ. *Dict. diſp. 4. th. 14.* Quæ autem hodiè noſtris moribus juramenti clientelaris forma uſitata ſit, annotant Schneidvv. *part. 5. n. 79.* Vult. *d. c. 7. n. 40. §. ſunt autem ſex verſ. hodie.* Waremund. ab Erenberg. *de Fæder. lib. 2. c. 1. num. 162.* Dn. Bocer. *d. c. 4. n. 20.* Si deniq; nec de ſpeciali conſuetudine conſtat, demum ad jus commune feudorum recurritur, & ſecundùm eam formam, quæ ibi præſcribitur, juramentum clientelare præſtatur. Schenck. *in c. un. de nov. form. fidel. 2. F. 7. n. 2. verſ. quia ceſſante.* Dn. Bocer. *d. c. 4. n. 20.* de qua quum plenius ſupra actum ſit, nihil amplius addam.

Et præſtari debet vel in loco conventione Domini & Vaſalli deſignato, vel habitationis conſuetæ.

EXEGESIS.

§. 1. HActenus fidelitatis forma fuit ſubſtantialis, ſequitur accidentalis, quæ non ſolum in aliquibus ritibus externis, ſed & in conſideratione loci & temporis, ubi nimirum & quando fidelitas præſtanda ſit, conſiſtit. Ritus quod attinet. Debet Vaſallus primùm cum honoris præfatione, devotè & humiliter fidelitatem facere, id quod exigunt. *c. un. §. quomodo. in quib. cauſ. feud. amitt. 2. F. 23. c. un. §. curia. de milit. Vaſall. qui contum. eſt 2. F. 22.* Jacobin. de S. Georg. *in verb. qui quidem inveſtit. num. 39. & 56.* Schneidvv. *part. 5. num. 57. & ſeq.* Zaſ. *part. 7. num. 13.* Schrader. *part. 6. c. 1. num. 19.* ſecundò genua etiam proſternere & in terram procumbere debet, ſi Dominus ſit Imperator aut Rex. Schrader. *d. l. num. 9.* Denique inveſtituram petere, & ad fidelitatem faciendam inſtanter ſe offerre debet; quod ultimum quidem Dd. non neceſſe eſſe putant, quum tacitè id ſubintelligatur, ne tamen aliquid Vaſallo imputari poſſit, nihil impedit, ut ſe ad fidelitatem præſtandam offerat. *arg. c. un. §. fin. de prohib. feud. alien. per Lothar. 2. F. 52.* Schrad. *part. 6. c. 3. n. 8.* Quomodo de jure Saxonico Inveſtitura peti & fidelitas præſtari debeat, formula indicat, quæ habetur Lehnrecht. *artic. 22.* Quamquam id hodiè iisdem & todidem verbis non ita ſtrictè ſervari teſtetur Dn. Melaſſ. *Diſput. 4. theſ. 3.*

§. 2. De loco ubi fidelitas præſtanda, unanimis eſt Dd. conſenſus, quod primùm videndum, an locus iſte conventione Domini & Vaſalli jurejurando ſit deſignatus, & tunc abſque omni dubio, in loco convento, ex pacto jurabitur ſecundum *l. ſemper. 34. ff. de R. I.* Quod ſi nihil actum ſit, adeundus eſt Dominus in loco habitationis conſuetæ; Quia & ad judicandum locus conſuetus datus intelligitur *per. l. ſolemus. 6. l. ſi locus. 59. ff.*

des

de judic. & ubi quis ag. l. pen. de I. & I. Matthæus de Afflict. *in c. un. quo temp. mil. inveſtit.* 1. F. 22. *n.* 7. vel ſi ibi non inveniatur, locus, in quo prædium feudale ſitum, aut ubi feudum promiſſum eſt, opportunus erit. *arg. l. quod legatur* 38. *ff. de judiciis arg. l. heres.* 18. §. 1. *& ult. ff. eod.* & huc conferri poſſunt ea, quæ tradit Accurſ. & Donell. *ad l.* 1. *ff. d. eo quod certo loco.* Sylvan. *de Recognit. feud. quæſt.* 18. Laudenſis. *ad c. un. quo temp. miles inveſt. petere deb.* 1. F. 22. Dn. Bocer. *de inveſtit. feud. c. ult. n.* 13.

§. 3. An verò Vaſallus, ſi Dominum prædictis in locis non inveniat, locum, ubi Dominus aliàs commoretur, adire debeat? quæritur Comunis Doctorũ opinio eſt, ſi locus ſit vicin⁹ & ſine magno ſumptu illuc perveniri poſſit, eum eſſe adeundum, quod an talis ſit locus, pro loci, temporis, & perſonarum qualitate arbitrio judicis committitur *per. l. continuus* 137. §. *cum ita* 2. *ff. d. V. O.* & ita ſtatuit Sylvan. *de feud. recognit. d. quæſt.* 18. Alvarott. *in c. unic. quæ fuit prim. cauſ. benef. amitt.* 2. F. 24. *num.* 6. *& in cap. un. quo tempor. mil.* 1. F. 22. SchneidW. *part.* 5. *n.* 40. Schrader. *part.* 6. *c.* 2. *n.* 39. Vult. *c.* 7. *num.* 74. Video tamen Curt. Juniorem *in tract. de feud. part.* 4. *n.* 49. contrarium ſentire, per Doctrinam Bartol. *in l. item illa. ff. de conſtituit. pecun.* quod ad evitandam moram reus non debeat perquirere actorem in alio foro. Sed quia plerumq; hodiè, ſi Dominus ex aula proficiſcitur, locum-tenentem ſive vicarium domi relinquit, optimè huic fidelitas præſtari poteſt. Jacobin. de S. Georg. *in d. verb. qui quidem n.* 54. Sonsbec. *part.* 11. *n.* 8. Mozz. *de ſubſtant. feud. n.* 45. *verſ.* 5. quod etiam in jure Saxonico obſervatur. Lehnrecht *c.* 50. Schrader. *d. c.* 2. *n.* 40. *verſ. ſecundo.* Et tantum de loco.

THEOREMA IX.

Poſt inveſtituram. Et quidem ſi feudum ſit novum, tempus, intra quod fidelitas fieri debet, Domini relinquitur arbitrio; ſin vetus intra Diem & annum.

EXEGESIS.

§. 1. SEquitur tempus, quando fidelitas præſtãda, ubi primo loco quæſtio multùm agitata ſeſe offert, An fidelitas inveſtitu-

ram præcedere, an verò ſequi debeat? quam quæſtionem proponit Feudiſta *in c. un. quid pracedere debeat* 2. *F.* 4. Deciſio autem iſtius an ex iſto c deſumi poſſit? non immeritò dubitatur. Siquidem illam non minus flexiloquam & ambiguam eſſe, ac illud veteris oraculi; Ajo te Æacida Romanos vincere poſſe, notat. D. Zabell. *Inſtit. feud. exerc.* 7. *th.* 2. *lit. A.* Ex alio itaq; loco quæſtio hæc determinanda, quē ſuppeditat Feudaſt. *in c. un.* §. 1. *de nov. form. fidel.* 2. *F.* 7. *ubi inquit inveſtiturâ factâ & fidelitate ſubſecuta Dominus cogatur inveſtitum in vacuam poſſeſſionem mittere*; ex quibus verbis perſpicuum eſt, inveſtituram præcedere, & fidelitatem ſubſequi debere. Cum enim fidelitas Vaſalli pendeat ex beneficio Patroni, æquū eſt, & naturæ ordo requirit, ut hoc tanquam cauſa præcedat. Nihil tamen impedit, ſi fidelitatem & ſequi & præcedere debere inveſtituram ſtatuam. Siquidem Inveſtituræ vocabulum tripliciter ſumitur, & vel ipſum inveſtiendi actum denotat, die belehnung der Lehnſchafft. *ut in c. unic. in pr. quib. mod. feud. conſtit. poſ.* 1. *F.* 25. *c. unic.* §. *fin. de feud. cognit.* 2. *Feud.* 1. vel ipſam feudi poſſeſſionem, *c. unic. quid ſit inveſtit.* 2. *F.* 2. vel feudi inſtrumentū denotat, den Lehnbrieff. Mozz. *de ſubſtant. feud. n.* 34. Dn. Obrecht. *lib.* 2. *cap.* 8. *num.* 4. In priori igitur ſignificatione inveſtitura fidelitatem præcedere debet, in ſecunda verò ſequi; maximè cum hodiè id non ita ſtrictè obſervetur, & præpoſteratio hoc loco non adeò ſuperſtitiosè ſit curanda, ut nihil noceat, ſive fidelitas ante, ſive poſt inveſtituram præſtetur. Schenck. *ad c. un. quid praced. deb.* Schrader. *part.* 5. *c.* 3. *n.* 5.

§. 2. Intra quod tempus autē fidelitas fieri debeat, neceſſariò diſtiguendum eſt inter feudum novum & vetus. Reſpectu novi nullum tempus certum definitum eſt, ſed arbitrio Domini relinquitur, quando is ſibi fidelitatem præſtari velit. Contius quidem *de feud. c. quib. mod. feud. acquir.* in ea opinione eſt, teneri Vaſallum, ſtatim vel primo quoquo tempore, Dominum adire, eiq; factâ inveſtiturâ, fidelitatem præſtare. Sed quia hæc ſingularis opinio nullo nititur textu, nec rationibus ſatis firmis munita eſt, communis retinenda, quæ vult, quòd Vaſallus ad fidelitatem præſtandam ſe offerre non teneatur, ſed expectare debeat, donec Dominus ipſum ad præſtationem citet. Generaliter enim jure feudorum *in c. un.* §. 1. *quæ fuit prim. cauſ. beneſ. amitt.* 2. *Feud.* 24. conſti-

conſtituitur, quod Vaſallus, cui Dominus feudum promiſit, ad requiſitionem ejus, fidelitatem præſtet: quod non ſolum de veteri, ſed vel maximè etiam de novo eſt accipiendum, quod ſatis arguit vocabulum pollicendo; ut ſenſus iſtius textus talis ſit, ſi Dominus alicui feudum promittat, ſtatimque fidelitatem à Vaſallo exigat, illo non præſtante, Dominus ad curiam ſuam illum citare debet, quod ſi citatus non compareat, feudum amittat. Et licet etiam hic textus de feudo antiquo intelligi poſſit, nihil tamen officit, ut etiam de novo exaudiatur, quum nulla ratio diverſitatis hoc caſu dari queat, & ita ſtatuunt Alvarott. Bald. & Dd. communiter *in d. c. un. quæ fuit prim. cauſ. benef. amitt. 2. Feud.* 24. Sylvan. *de recognit. feud. quaſt. 6. n. 2.* Schurf. *Cent. 2. Conſil. 24. n. 6.* Vult. *lib. 1. c. 7. n. 25.* Weſenb. *de feud. c. 8. n. 2.* Dn. Bocer. *de inveſtit. c. ult. n. 1. & 2.*

§. 3. Tribus autem vicibus Vaſallus citari debet. Nam licet de jure civili, *in l. nonnunquam 72. ff. de judiciis* deciſum reperiatur, quod una citatio peremptoria ſit inſtar trium citationum; Contrarium tamen jur. feud. eſt conſtitutum *in d. §. 1. 2. F. 24. & in c. un. de mil. Vaſall. qui contum. eſt. 2. F. 23.* in quibus locis trinæ citationes requiruntur, quæ intervallo ſeptem aut decem dierum pro arbitrio curiæ Domini, fieri debent. *arg. d. c. unic. de milit. Vaſall. 2. F. 23.* Quod ſi itaq; Vaſallus ter citatus non compareat & præſtanda recuſet, ad inveſtituram faciendam, Dominus non tenetur, ſed ſi ille hūc de ſua promiſſione convenerit, exceptione repelli poteſt, per *d. c. un. §. 1. quæ fuit prim. cauſ. 2. F. 24. & d. c. un. de milit. Vaſall.* Bald. *ad c. unic §. præterea de prohib. feud. per Frid. 2. F. 55.* Curt. Jun. *de feud. part. 4. n. 56.* Mozz. *de ſubſtant. feud. n. 53.* Borchold. *c. 7. n. 29.* Vult. *d. l.* ſed etiam una citatio ſufficit, ſi videl. citatus ad primam citationem venire recuſaverit. Qui enim reſpondet, ſe nolle comparere, in vera & manifeſta eſt contumacia. Jaſon. *in. l. properandum. 13. §. & ſiquidem C. de judiciis.* Boer. *Deciſ. 206. n. 6. & 7.* Gloſs. Bard. & Dd. *in l. fin. ff. de in integr. reſt.* Schrader. *part. 9 cap. 7. num. 6. verſ. hæc concl.* Sic etiam quando in judicio præſens ſit, citatus comparere noluerit, quia & tunc de eius vera contumacia conſtare cenſetur. Sylvan. *de l. quaſt. 7. n. 6. & 7.* Roſenthal. *cap. 6. concl. 43. n. ult.* Schrader. *d. n. 2.* Vult. *d. l.* Si tamen Dominus qui feudum promiſit, tempus fidelitatis præſtandæ nimiū differat, adire poteſt Dominū, ipſumq; de in-

de inveſtitura facienda Interpellare. Si recuſaverit Dominus, actione cogi poteſt ut fidelitatem accipiens inveſtituram faciat. Vult. *d. l. & lib. 2. c. 1. n. 11.* Dn. Bocer. *d. l. n. 3. & c. 2. n. 17. & ſeqq.*

§. 4. Feudo antiquo etiam perſe certum tempus non eſt præſtitutum. Reſpectu tamen inveſtituræ, quam confeſtim comitatur fidelitas, per conſequentiam tempus, quod inveſtituræ feudi veteris præfinitum eſt, fidelitati quoq; conſtitutum cenſetur. Proinde ſicut ad inveſtituram veteris feudi conſequendam Vaſallus Domini citationem expectare non tenetur, ſed tempore determinato illam petere debet: Ita & in fidelitate præſtanda, non, ut in feudo novo, admonitione Domini opus eſt, ſed ultro ſe Domino Vaſallus offerat neceſſum habet. *c. un. de capit. Corrad. 2. F. 40.* ubi Dd. communiter. Ratio diverſitatis illa redditur à Dn. Obrecht. *Diſp. feud. 7. th. 81.* quia in antiquò feudo jus jam eſt conſtitutum; in novo non item. Propterea jus feudorum voluit, juris conſtituti renovationem ac conſervationem à Vaſalli cura & diligentia; at nondum plenè conſtituti perfectionem à Domini voluntate pendere.

§. 5. Tempus itaq; intra quod, reſpectu feudi antiqui fidelitas præſtari debet, certum à jur. feud. definitum habetur. Eſtq; regulariter illud annus & dies *c. un. pr. qua fuit prim. cauſ. benef. amitt. 2. F. 24. c. un. de capit. Corrad. 2. F. 40. c. un. verſ. preterea de prohib. feud. alien. per Frid. 2. F. 55. c. un. §. quoniam de prohibit. feud. alienat. per Lothar. 2. F. 52.* cũ quibus juribus facit Receſſus Imperii Wormat: *Anno 1521.* §. vnd behalten vns/ ibi, nach der verſcheinung deß erſten Jahres/ darin einem jeden ſeine regalien zu entpfangen gebühret. Quamquam reſpectu militis etiam ſit annus & menſis per. *c. un. pr. quo tempore mil. inveſtit. per. deb. 1. F. 32.* qui textus tanquam ſpecialis derogat generalibus antea allegatis capitulis. Idq; propter favorem militum, quorum ob cauſam ſæpiſſimè à textibus juris communis receditur, ut patet *ex l. milites 8. C. de quaſt. l. fin. in pr. C. de jur. de lib. l. 1. & t. t. de milit. teſta.* Sylvan. *de recogn. feud. quæſt. 8.* Sonsbec. *part. 11. n. 7.* Weſenbec. *cap. 8. num. 3.* Vult. *lib. 1. cap. 7. n. 61.* Schrader. *part. 6. cap. 3 n. 77.* Roſenthal. *c. 6. quæſt. 50. n. 7.* Et Quamvis vocabulum militis, pro Vaſallo etiam accipiatur, Dominoq; opponatur *in c. un. ſi de feudo defunct. conteut. ſit §. moribus 1. in pr. 2. F. 26.* Hoc tamen nihil nocet. Eſt enim vocabulum Vaſalli generale, ſub ſe comprehendens

dens non ſolùm militem, qui revera talis eſt, ſed & alias perſonas, quæ militare prohibentur, ut ſunt Clerici, mulieres, & aliæ. Proinde quando Feudiſta vocabulo militis in allegat. c. utitur, facit id potius reſpectu perſonarum Eccleſiaſticarum, quarum poſtea facit mentionem, quàm reſpectu Domini. Ideoq; etiam hoc reſpectu plerumque addunt Feudiſtæ de milite Vaſallo *c. un. de Vaſall. milit. 2. F. 21. & tit.* 22. videatur Clariſſ. Dn. Præceptor Arumæus *Diſput. Feud. 5. th.* 21. Dn. Bocer. *d. tr. de inveſt. c. ult. n. 6. & 7.* & Ampliſſ. Dn. D. Bitſchius *in prælect. publ. ad d. tit.* 22. ubi & diſtinctionem Vulteii inter jus ſtrictum & æquitatem, retineri poſſe putat, ſi textus correctionem evitare velimus. De jure Saxonico tempus petendæ inveſtituræ, & ſic etiam fidelitatis faciendæ, eſt tempus anni & ſex ſeptimanarum, Ein Jahr vnd ſechs Wochen. Lehnrecht. *art. 25. verſ.* Alſo manch Schildt. & *art. 22. junct. gloſſ. in verbo* Jahr vnd Tag.

§.6. Tempus hoc ita conſtitutum currit à tempore ſcientię. Poſtquam videl. Vaſallus mutationem, vel reſpectu Vaſalli, vel Domini reſciverit accidiſſe. *c. un. §. 1. verſ. porro, ibi vel annali ſilentio, ex quo ſciverit computando. qual. olim poter. feud. alien. 2. F. 9. arg. l. ſi bonorum. 2. C. qui admitt. ad bon. poſſ. l. utili. 2. §. 1. ff. quis ordo in poſſeſſ. ſerv. l. annus 6. in fin. ff. de calum.* Oldendorp. *claſſ. 5. tit. de benef. act.* Hartm. Hartm. *tit. de feudo obſerv. 8. num. 2. 7. & 12.* Schneidvv. *part. 5. n. 27. & n. 55.* Weſenbec. *conſil. 78. n. 20.* Fichard. *volum. 2. conſil. 23. n.* 10. Hancque omnes ſequi teſtatur Molin. *in conſuet. Pariſ. §. 1. Gloſſ. 2. n. 4.* Mynſing. *cent. 5. obſerv. 9.* Gail. *lib. 2. obſerv.* 48. *num. 8.* Si igitur Vaſallus caſum mortis, alienationis, aut ſimilis alicujus ignoret, excuſationem meretur. per text. *in c. un. §. Vaſallus ſi de feud. de funct. cont. ſit int. Dom. 2. F. 26.* Vaſallus enim in dubio non præſumitur ſcire, feudum ſibi eſſe quæſitum, quum ſit facti alieni. Joan. Blanc. *lib. 1. feud. c. 3. n. 15.* Quare Domino incumbit probare ſcientiam, ad hoc ut currat tempus petendi inveſtituram & faciendi fidelitatem. *l. verius. 21. ff. de probat. arg. l. qui in alterius. 43. ff. de R. I.* & ibi Decius *l. fin. ff. pro ſuo. l. plurimum. 3. ff. de jur. & fact. ignor.* Schrader. *part. 6. c. 2. n. 16.* Ruding. *Method. jur. feud. lib. 1. c. 11.* ubi allegat. Laudenſ. *ad tit. quo temp. mil. 1. F. 22. num. 20.* Ignorantia tamen juris, aut craſſa & ſupina

nullam merentur excuſationem; æquiparantur namque ſcientiæ *per l. nec ſupina. 6. & l. regula. 9. §. ſed facti. 2. cum ſeq. ff. de jur. & fact. ignor.* Schneidvv. *d part. 5. n. 28.* Matth. de Afflict. *deciſ. Neapol. 26.* Roſenthal. *d. cap. 6. concl. 69.* Mynſing. *d. obſ. 9. num. 8.* quod de ignorantia dictum Dd. trahunt etiam ad dubitantem, eò quod hîc pro ignorante habeatur. Alvarott. *ad c. un. quo temp. Gail. 1. F. 22. n. 11.* Sylv. *de feud. recog. quæſt. 65. num. 12.* Roſenth. *d. cap. 6. concl. 83.*

§. 7. Quare autem anno dies adjiciatur, anxie inquirunt interpret. aliam alius reddens rationem. Speculat. & alii Dd. quos refert *in tit. de feud. §. quoniam verſ. 27.* rationem petunt à duplici bonorũ poſſeſſione edictali & decretali. Quæ rejicitur à Jaſon. *in præl. feud. circa fin. verſ. decima ſexta diviſio.* & à Laur. Sylvano. *d. tr. q. 14. n. 3.* & plenius examinatur à Dn. Melaſ. *diſp. 3. th. 28.* Aliam adfert Borch. *de feud. c. 7. n. 31.* ſtatuens; Ideò diem anno eſſe adjectum, ut oſtendatur, annum finiri eodem die menſis, quo incepit, & hoc adeò probaſſe conſuetudines feudales, quo litem eam, an dies termini, cõputetur in termino? dirimerent. Licet verò hæc ratio admodũ ſit probalis, tamen an vera ſit, & an hanc quæſtionẽ attenderint conſuetudines feudales; æquè dubitari poteſt. Proindè, quum non omnium, quæ conſtituta ſunt, ratio reddi queat. *l. non omnium. 20. ff. de LL.* non quod nulla ratio ſubſit, ſed quod ea nos lateat, & propterea in rationes eorum, quæ cõſtituta ſunt inquiri non oporteat. *l. & ideo. 21. ff. d. t.* cum Dd. communiter ſtatuo, nullam rationem veram dari poſſe. Alvarott. *in c. un. quæ fuit prim. cauſ. 2. F. 24. in pr.* Sylvan. *d. q. 14.* Mozz. *de ſubſtant. feud. n. 48.* Schneidvv. *p. 5. n. 5.* Curt. Jun. *de feud. part. 4. num. 43.* Clar. *in §. feudum. quæſt. 49. num. 1.* Vult. *c. 7. n. 61. verſ. cur autem.*

§. 8. Cæterum cum tempus illud in favorem ſolius Vaſalli introductum ſit, non alius, ſed ipſe ſolus Vaſallus ei renunciare poteſt. per *l. penult. C. de pact.* Quapropter tempus iſtud, abſq; conſenſu Vaſalli abbreviari & coarctari per Dominum minimè poteſt; quia dilatio à legibus alicui indulta, ipſi juſta abſque cauſa auferri nequit. *l. 2. l. ſi ſe. 4. §. ſi quis condemnatus. 6. ff. de re jud. l. adulter. 5. Cod. ad L. Iul. de Adult. cap. indultum. de Reg. Iur. in 6.* & ibi Dynus: Et debitor, quod in diem debet, ante eum diem ab ipſo

ex

exigi nequit. §. *omnis ſtipulatio. 2. Inſt. de V. O. l. eum qui. 41. §. quoties. 1. l. qui hoc anno. 42. & l. quoties. 59. ff. eod. l. obligationum. 44 §. 1. ff. de O. & A.* Dd. communiter in *d. c. un. quo temp. mil. 2. F. 22.* Schrader. *part. 6. c. 2. n. 2.* Roſenth. *c. 6. concl. 101.* Jacob. de S. Georg. *in verb. qui quidem inveſtiti. n. 33.* Dn. Ritterſh. *part. feud. lib. 1. c. 9. quæſt. 13.* Borchold. *de feud. c. 7. n. 56.* Vult. *d. c. 7. n. 62.* Dn. Bocer. *d. c. ult. n. 9.* Saxonicum tamen jus hic à jure Civili receſſum facit. Lehnrecht. *art. 22.* ubi reperitur indiſtinctè permiſſum Domino tempus hoc minuere, & Vaſallo terminum breviorem aſſignare, ita ut ſi ipſe Vaſallus, intra terminum præſcriptum, inveſtituram non petierit, fidelitatemque præſtiterit, feudo æquè privari debeat, ac ſi tempus à jure feudali aliàs deſtinatum, transgreſſus eſſet. Schrader. *d. c. 2. n. 6.*

§. 9. Sed an tempus iſtud invito Vaſallo à Domino prorogari poſſit? quæſtionis eſt, Laur. Sylvan. *d. tract. quæſt. 16.* & Borchold. *d. c. 7. n. 36.* id Domino concedunt, argumento temporis, quod judicatis ad ſolvendum datur, & à Judice quidem non minui, ſed ampliari poteſt, per *d. l. 4. §. ſi quis condemnatus. 6. ff. de re Iudic.* Verum quia, ut antea dictum, hoc tempus ſolius Vaſalli favorem reſpicit, Vaſalli autem intereſſe poſſit, ne tempus iſtud prorogetur, prorogatio absque Vaſalli conſenſu Domino minimè permitti poteſt. Et hoc etiam propterea, quod Dominus & Vaſallus ad paria judicentur. ut patet *ex c. un. §. 1. de conſuet. rect. feud. 2. F. 33. & c. un. de form. fidel. in fin. 2. F. 6.* Quod itaq; Vaſallo abſq; conſenſu Domini non permittitur, id etiam abſq; conſenſu Vaſalli Domino denegari debet. Quare cum Vaſallus tempus iſtud prorogare non poſſit, illud nec Domino integrum eſt. Alvarott. & Matth. de Afflict. *in c. un. §. nulla. per quos fiat inveſtit. 2. F. 3.* Jacobin. de S. Georg. *verb. qui quidem inveſtit. num. 40.* Thomas de Marin. *in tr. de gener. & qualit. feud. tit. 2. num. 54.* Schrader. *d. cap. 2. num. 7.* Vult. *d. num. 61.* Dn. Bocer. *d. c. ult. n. 9.* Conſentit jus Saxonicum. Lehnrecht. *d. art. 22.* Quod in tantum verum eſſe Dd. allegati tradunt, ut ſi invito & non conſentiente Vaſallo Dominus tempus hoc prorogaverit, directo Domino privari poſſit. *arg. d. c. unic. de form. fidel. 2. F. 6.*

§. 10. Nullum tamen eſt dubiũ, quin prædictum tẽpus utrius-

què & Domini & Vaſalli conſenſu coarctari aut prorogari poſſit Dd. modo allegati. Utrùm verò hoc caſu, Vaſallus ſi hoc tempus conventum transgreſſus fuerit, feudo privandus ſit, non uſquequaque eſt expeditum. Verùm quidem eſt, quod hoc tempus conventione Domini & Vaſalli conſtitutum, in locum temporis legalis ſurrogetur; ſurrogatum autem ſapere naturam ejus cui ſurrogatur, expediti juris eſt, per *l. ſi cum. 10. §. qui injuriarum. 2. ff. ſi quis caut. in jud.* ut ita dicendum eſſet, quod pœna privationis conſtituta à lege, obtineret etiam in tempore convento. In contrariam tamen ſententiam communiter eunt Dd. propterea, quod quæ in tempore legali obtinent, ſibi locum non vendicent in tempore cõvento *per l. contumaciæ. 53. ff. de re jud.* Expreſſi itaq; hic major eſt vis quàm taciti, præſertim cum hæc materia ſit odioſa. Proinde, niſi de pœna privationis expreſsè inter Dominum & Vaſallum conventum fuerit, feudo Vaſallus privari non poteſt, & ita tradunt Iſernia. Matth. de Afflict. *in d. c. un. quo temp. miles inveſt. 1. F. 21. num.* 12. Schrader. *d. c. 2. num.* 4. Melaſ. *d. diſp. 3. theſ. 43.* Et hæc etiam de tempore dicta ſunto.

THEOREMA X.

Effectus fidelitatis eſt, reſpectu Domini, quod Vaſallum habeat obligatum, ad præſtandum ea, de quibus de jure Feud. tenetur: reſpectu Vaſalli, quod Dominus ipſi feudum tradere debeat.

EXEGESIS.

§. 1. HActenus de cauſis fidelitatem Vaſallaticam conſtituentibus actum eſt, nunc ad finem & effectum iſtius nos accingemus. Quia verò fidelitas hæcce tam Dominum quam Vaſallum reſpicit, ita ex duplici iſto reſpectu, duplex etiam finis oritur, & quidem à parte Domini finis eſt, ut Vaſallum ſibi habeat obligatum ad præſtandum ea, de quibus de jure feud. tenetur. A parte Vaſalli verò, ut is à Domino feudum conſequatur, huius

enim

enim intuitu Domino fidelitatem præſtat, ut ſibi illum ad feudi traditionem habeat obligatum. Quod ſi finis exequatur, oritur effectus, & ſic etiã ſecundũ duplicẽ finẽ, duplex eſt effectus, Alius reſpectu Vaſalli, qui hac fidelitate ſe Domino vel ad obedientiam vel pœnam obligat. Alius reſpectu Domini, qui eſt, quod Dominus Vaſallum teneatur realiter inveſtire, eumque in feudi poſſeſſionem immittere: Qui effectus jam plenius examinandi veniunt.

§.2. Et quidem quoad Dominum, quem primum tamquam perſonam digniorem conſidero, effectus principalis conſiſtit in eo, tum ut Vaſallus ipſi ſit fidelis, tum quoque ut reverentiam & obſequium ipſi præſtet, ſecundùm ea, quæ in forma fidelitatis Vaſallaticæ ſupra prolixius ſunt propoſita, ad quæ me, ne crambem bis coctam apponam, remitto. Conſequitur hac fidelitate Dominus etiam jurisdictionem quandam in Vaſallos, quod ſatis eluceſcit *ex c. un. §. præterea ſi inter duos de probib. feud. alien. per Frideric. 2. F. 55. c. extranſmiſſa. extr. de for. compet. c. cæterum. ext. de jud.* Si itaque lis oriatur inter Vaſallos Imperii, veluti Duces, Marchiones vel Comites, Imperator de ea cognoſcere debet *c. un. pr. de Lege Corrad. 2. F. 34. c. un. pr. apud quem vel quos controv. feud. defin. 1. F. 18.* Cammergerichts Ordnung. *part. 2. tit. 7.* Gail. *lib. 1. obſerv. pract. 29. n. 1.* Non ſolùm autem Imperator, ſed & quilibet alius Dominus de controverſia feudali, inter Vaſallos ſuos nata, cognoſcit, text. enim *d. §. præterea. 2. F. 55.* & reliqui allegati loquuntur generaliter, ita ut & privatum, imò ruſticum ſub ſe comprehendere videantur. Licet enim hi territorium nullum habeant, ratione tamen perſonarum, quæ non minus quã territorium ſubiectum ſunt jurisdictionis, ut patet ex *Auth. Habita Cod. ne filius pro patre.* exercere jurisdictionem poſſunt. Dn. Bocer. *de jur. Dom. & Vaſall. lib. 1. c. 3. n. 1. 2. 3. & ſeqq.*

§. 3. Deinde obligat ſe Vaſallus non ſolùm ad ea præſtanda quæ in juramento fidelitatis ſunt comprehenſa, ſed etiam ad conſilium & auxilium. *per d. c. un. qual. jur. Vaſall. deb. 2. F. 5. d. c. un. ibi, conſilium & auxilium præſtet Domino. de form. fidel. 2. F. 6. c. un. ibi, meum tibi, & ibi, & ſi conſilium. de nov. form. fidel. 2. F. 7.* Welenbec. *c. 11. n. 10.* Schrader. *part. 2. c. 2. num. 12. & part. 6. cap. 6.*

Digitized by Google

Intrigl. *quæſt. 56. num.* 185. Ideoq; conſilii fidelitas non ſolum in eo conſiſtit, ut conſilia ſibi concredita ſilentio tegat, neminique pandat, Nec etiam in eo quod non debeat eſſe in conſilio contra Dominum, de quibus ſupra actum: ſed etiam ſi Vaſallus ad conſilium dandum requiſitus fuerit, Domino optimum pro virili ſua ſubminiſtrare debet. Et ſi ita bona fide, ſyncerè, & ſecundum animi ſui ſententiam conſuluerit, utcunq; etiam conſilium infeliciter aut malè ſucceſſerit, ex conſilio dato non tenebitur *per l. Conſilij* 47. *ff. de Reg. Iur. & c. nullus ex conſilio* 62. *de Reg. Iur. in* 6. Nam cum unicuiq; liberum ſit, apud ſe explorare, an ſibi expediat conſilium. *§. tua tantum gratia.* 6. *Inſt. de mandato. & l.* 2. *§. fin. ff. eod.* ſibi, non alteri imputare debet Dominus, ſi non ſatis diligenter exploraverit, an ſibi expediret conſilium, necne. Ampliſs. & Conſultiſs. Dn. Andreas Kohl. *in tract. de Servit. feud. part.* 4. *num.* 12. *& ſeq.* Dn. Zabell. *diſp.* 7. *th.* 6. *lit. c.*

§. 4. Auxilii fidelitas continetur obſequii & ſervitii præſtatione, *per jura citata.* Illud continet honoris exhibitionem, de qua jam ſupra actum. Hoc autem principaliter militaria ſervitia, quæ vulgò Ritterdienſte appellantur. Qui effectus, licet ab initio primarius fuerit, quum feuda primitùs eum in finem fuerint inventa, quo Dominus omni tempore, ad propulſandam injuriam & hoſtium impetus arcendos, milites paratos haberet, tractu tamen temporis in deſuetudinem abiit, ita ut non ſolum reſpectu militiæ, ſed & alio fine, feuda hodiè concedantur, pro quibus non militaria ſed alia ſervitia, imo etiam nulla præſtantur. Quod non ita exaudiendum, ac ſi militaria ſervitia non eſſent de natura feudorum, ſed quod hic effectus, quum non de omnibus feudis præſtetur, non tam principalis ſit, quam obligatio fidei, quæ à feudo minimè ſeparari poteſt, ut ſæpius dictum. Proinde regulariter de quolibet feudo ſervitia ſunt præſtanda. *cap. unic. §. huius autem. ibi, ad hoc ut ille. In quibus cauſ. feud. amitt.* 2. *Feud.* 23. & hoc in tantum verum eſt, ut etiamſi in conceſſione feudi nulla mentio ſervitiorum facta ſit, nihilominus tamen Domino ſervire teneatur Vaſallus. *arg. c. unic. in pr. de form. fidel.* 2. *Feud.* 6. *cap. unic. §. licet, ſi de feud. defunc. content.* 2. *Feud.* 26. *c. un. §. fin. an ille qui interfic. frat. Dom.* 2. *Feud.* 37.

Schneid.

SchneidWin. *part. 5. n. 91. & ſeq.* Modeſtin. Piſtor. *vol. 2. conſil. 18. n. 65. & ſeq.* Schrader. *part. 6. cap. 6. n. 3. & 4.* Borchold. *cap. 1. n. 29.* Eſt enim ſervitiorum præſtatio de natura feudi, *per jur allegat.* Quæ autem de natura alicuius contractus ſunt, tacitè ineſſe cenſentur, & propterea ſunt præſtanda. *arg. cum quid. ff. de reb. credit. ſi cert. petat. l. exemto. 11. §. 1. verſ. quod ſi nihil ff. de act. emt.* De quibus, ut quæ, quomodo, & à quibus præſtanda ſint, elegantiſſimè pertractat Ampliſs. Dn. Andreas Kohl. *in d. tract. per tot.* Sic etiam alios effectus reſpectu Domini recenſet Dn. Bocer. *in tract. de Iur. Dom. & Vaſall. lib. 1. cap. 3.* ad quos me, brevitatis causâ remitto.

§. 5. Reſpectu Vaſalli effectus fidelitatis præcipuus eſt traditio feudi. Huius enim intuitu fidelitatem præſtat, ut ſibi feudum à Domino acquirat; Dominus itaq; inveſtiturâ abuſivâ anteceſſâ, fidelitateq; ſubſecutâ, præcisè ad rei feudalis traditionem obligatus eſt, & Vaſallum in vacuam poſſeſſionem mittere debet, nec præſtando intereſſe liberatur. *c. unic. §. ſi facta. Ibi, tradere compellendum. ſi de feud. defunct. cont. ſit 2. F. 26. c. unic. pr. ibi, cogitur Dominus ſi de inveſt. feud. controv. ſit. 1. Feud. 4. c. unic. in fin. de nov. form. fid. 2. F. 7.* Mozz. *de ſubſtant. feud. num. 36. §. & alius & tertius.* Borchold. *cap. 7. num. 8.* Mynſ. *obſerv. 61. num. 5. & 12.* Hartm. Piſtor. *lib. 2. quæſt. 29. num. 1. & 12.* Hartman. Hartm. *tit. de feud. obſerv. 6. num. 12. & obſ. 7. num. 2.* Paris de Puteo *de reding. feud. cap. 93. num. 5.* Zaſ. *part. 6. n. 12.* Vult. *lib. 1. cap. 10. num. 11.* Ampliſſimus Dn. D. Locamer. *diſp. feudal. 2. th. 30.* Quod verò in textu *c. unic. 2. F. 7. in verb. fin.* dicitur, Dominum omnem utilitatem Vaſallo præſtare debere, non eò trahendum, quaſi Dominus feudum tradere recuſans, præſtando intereſſe liberetur, ſed id ad tardiorem traditionem & moram Domini pertinet, ut ita in illis verbis & omnem utilitatem præſtabit, ſubintelligi debeat, quæ ex mora non traditæ rei feudalis ſibi abeſt, ut docet Ampliſs. Dn. Præceptor D. Bitſchius *in prælect. publ. ad d. c. unic.*

§. 6. Quid autem, ſi Dominus, nullâ factâ inveſtitura, feudum ſaltem promiſerit, eſt ne & tunc Dominus ad rei traditionem præcisè obligatus? Hoc cum communi Dd. Schola nego, propterea, quod hæc feudum concedendi promiſſio, factum in ſe contineat; in faci-

in faciendi autem obligationibus nemo præciſè tenetur ad factum, ſed præſtando intereſſe liberatur, uti conſtat *ex l. ſi quis 13. §. 1. ff. de Re Iud.* ut & multis probat Gail. *de contrah. ſtipulat. c. 9. concl. 4. n. 21. & ſeqq.* quem ſequitur Dom. V. G. Forſter. *Tract. Iuſtin. lib. 1. Diſp. 17. th. 6.* Deinde etiam expreſſi juris eſt, quod, res, de qua facta eſt promiſſio de infeudando, antequam inveſtitura accedat, non efficiatur feudalis, ſe maneat allodialis. *arg. c. un. quib. mod. feud. conſtit. poteſt. 2. F. 25.* Unde & multùm differunt feudum conſtituendum & conſtitutum. Promiſſione itaq; feudum non conſtituitur, & proinde etiam Dominus ad iſtius traditionem præcisè non eſt obligatus. Ita docent Andreas de Iſernia. Martin. Laudenſ. & Matth. de afflict. *in c. un. §. ſi facta. ſi de feud. defunct. content. ſit 2. F. 26. num. 8.* Jul. Clar. *Recept. ſent. §. feud. quæſt. 26. num. 4.* Jacob. de S. Georg. *in verb. inveſtit. n. 8.* Mynſ. *Cent. 4. obſerv. 61. n. 14.* Roſenth. *c. 6. Concl. 6.* Dn. Obrecht. *lib. 2. c. 4. n. 13.* Schrad. *part. 5. cap. 1. n. 10. & part. 10. ſect. 6. n. 177.* ubi hanc quæſtionem limitat. Ruding. *Controv. jur. feud. lib. 2. cap. 26.*

§. 7. Traditio eſt poſſeſſionis translatio *per l. ſi res 28. ff. de V. O.* Requiritur ad hoc, ut feudum tradatur, vacua poſſeſſio, in quam Dominus Vaſallum immittere cogitur. *c. unic. in fin. de nov. form. fid. 2. F. 7. c. un. §. 2. tit. ſeq. c. un. de milit. Vaſall. 2. Feud. 22. c. un. §. ſi facta. 2. F. 26.* Vacans autem poſſeſſio ea dicitur, quæ à nullo, quam ab inveſtiente poſſidetur, id quod ex voce ipſa ſatis conſtat, quî verò illa vacans dici poteſt, quæ ab alio poſſidetur *l. nunquam 31. ff. de acquir. rer. Domin. l. 3. ff. de act. emt.* Vult. *lib. 1. cap. 10. n. 12. verſ. ſanè ſi poſſeſſio.* Licet etiam traditio non ſequatur, ſufficit tamen, ſi patientiâ Domini Vaſallus poſſeſſionem feudi nanciſcatur. Hæc enim traditionis loco eſt *per l. omnium. 2. ff. de uſufructu. l. fin. ff. de ſervitut. l. & ſi 6. §. fin. ff. ſi ſervit. vindic. l. 1. §. 1. de ſervit. Ruſtic. præd. l. ſi 11. §. 1. ff. de public. in rem. act.* Hæc omnia tunc obtinet, ſi Dominus rei in feudum tradendæ habeat facultatem; ſi verò hac careat, ab ipſius rei præſtatione quidē liberatur; ſed eius loco intereſſe, id eſt, omne emolumentum *l. 1. ff. de act. emt.* Zaſ. *part. 64. 12. verſ. ſecundò fallit.* Borchold. *c. 7. n. 17.* Mynſ. *d. obſ. 61. n. 17.* Weſenbec. *cap. 8. n. 15. verſ. quod ſi reprehendere*, vel æquivalens & ejuſdem bonitatis feudum *per c. un. de inveſtit. de re alien. fact. 2. F.* Sonsbec. *part. 9. n. 31.* Weſenbec. *d. verſ. quodſi*

reprehen-

reprehendere. Clarus *in §. feudum. quæſt. 26. n. 2.* vel pecuniam æquivalentem præſtare tenetur. Sonsbec. *d. l. num. 33.* Weſenbec. *num. 16. & alii.*

§. 8. Nec etiam ſemper Domini introductionem exſpectare tenetur Vaſallus, ſed fundum feudalem, poſt impetratam inveſtituram & præſtitam fidelitatem ingredi, & poſſeſſionem vacantem apprehendere propriâ authoritate poteſt, idque ex tacita Domini voluntate. *per. c. un. in princ. de Conſuet. recti feud. 2. F. 33. arg. l. ſi ex ſtipulatione. 5. ff. de adquir. vel. amitt. poſſ.* Ad acquiſitionem enim poſſeſſionis non eſt neceſſaria in poſſeſſionem immiſſio, ſed ſufficit, ſi Domini voluntas ab initio adſit, & eo ſciente & tacente abuſivè inveſtitus poſſeſſionem apprehendat. *arg. l. minus. 2. C. de acquir. poſſ. l. ſi à te emero. 16. ff. ſi ſervit. vindic.* Maximè ſi poſſeſſio eſt vacua & à nullo, quam ab eo, qui abuſivè inveſtivit apprehendetem, habeatur. Hoc enim caſu nemo de poſſeſſione turbata quæri poteſt: Et hæc eſt communis Dd. opinio, quam defendunt *FF. in c. un. quid ſit inveſtit.* Jacobin. de S. Georg. *verb. inveſtivi talem. num. 1.* Clarus. *in §. feudum. quæſt. 26. num. 1.* Sonsb. *part. 9. num. 30.* Weſenbec. *cap. 8. num. 15. verſ. abuſivè. & n. 31.* Schrader. *part. 5. cap. 2. num. 16.* Zaſ. *part. 6. in princ.* Hartm. Piſtor. *lib. 2. quæſt. 25. num. 26.* Vult. *lib. 1. cap. 10. num. 11. verſ. Quamvis autem.* Niell. *diſp. feud. 7. th. 7. lit. B.* Cùm qua Communi Dd. concluſione conſentit jus Saxonic. Lehnrecht. *c. 7. & 10. ibi,* das Gut daß dem erſt ledig wird/ das ſoll ſich der Mann vnterwinden/ *& ibi,* Wann aber der Herr ſich wegerte ſolch Gut anzuweiſen/ als er es jhme geliehen hat/ der Mañ vnterwindet ſich anderswo ſolches Guts/ wo es ſeinem Herren ledig ſey/ ohne anweiſung. *& c. 57. ibi,* vnterwindet ſich auch jener/ dem ein anwartung oder gedinge davon geliehen iſt/ eher dann der Herr/ er miſſethut daran nicht. Utut autem Vaſallo hæc poteſtas concedatur, tutius tamen eſt, ſi introductionem expectet. Ipſe enim jure munitus eſt, & Dominum cogere poteſt ut inveſtiat; imò ſi Dominus poſt fidelitatem præſtitam Vaſallo feudum novum tradere noluerit, aut ſi vetus, immiſſionem ultra annuum ſpacium diſtulerit, proprietate feudi privari poteſt, ut not. gloſſ. Alvarott. Præpoſ. & Afflict. *ad c. un. §. fin. per quos fiat inveſt. 2. F. 3.* Unde ſuadet ſuis conſultoribus Fichard.

H *vol. 1.*

vol. 1. *conſil.* 6. *n.* 4. ne juribus hiſce confidant, pro horum temporũ ſtatu & conditione, ſed potius per libellum ſupplicem auxilium implorent magiſtratus, cuius authoritate, atq; adeò publica, poſſeſſionem ingrediantur.

§. *9.* Nec tantum poſſeſſionem rei feudalis adipiſcitur Vaſallus, ſed & Dominium aliquod in iſta re (quod vel Dominium juris, vel, minus plenum, vel ut vulgò utile, vel quaſi Dominium nominari poteſt) Vaſallo competit, quod non obſcurè indicat Feudiſta *in c. un.* §. *rei autem. de inveſtit. de re alien. fact.* 2. *F.* 8. *ubi ita inquit. Rei autem per beneficium rectè inveſtita, Vaſallus hanc habe: poteſtatem, ut tanquam Dominus, poſſit à quolibet poſſidente ſibi quaſi vindicare.* Ex quibus verbis perſpicuè eluceſcit, quod per inveſtituram rectè, id eſt, realiter & plene, ſicuti explicat Ampliſſ. Dn. D. Bitſchius *in d. c.* factam, Vaſallus quaſi Dominus rei feudalis efficiatur. Ideoque & ipſi rei vindicationem utilem tribuit, quæ Dominium præſupponit. §. *1.* §. *namque.* 4. §. *ſic itaque diſcretis.* 14. *Inſt. de act. l.* 14. §. *penult. & ultim. ff. de except. rei jud. ibi, in rem ago, ſi rem meam eſſe dico*: Dominium itaque aliquod ut habeat neceſſum eſt. Dn. Rittershuſ. *lib.* 2. *cap.* 2. *quaſt.* 2. Duar. *de feud. cap.* 17. *num.* 1. Weſenbec. *c.* 9. *&* 10. *num.* 4. Schenck. *ad c. un.* §. *ult. ex quibus cauſ. feud. amitt.* 2. *F.* 23. *n.* 9. Illud autem Dominium nihil aliud eſt, quam jus rem feudalem utendi - fruendi, quod alias uſusfructus dicitur & poſſeſſio rei feudalis. *cap. un. verſ. huius autem. In quibus cauſ. feud. amitt.* 2. *F.* 23. *c.* 1. §. *Quãvis. de inveſtit. de re alien. fact.* 2. *F.* 8. *c. un. ibi, ipſe ſolus. de controv. int. Vaſall. & alium de benef.* 2. *F.* 43. *ibi, Gloſſ.* Qui uſusfructus plurimùm differt ab uſufructu allodiali, ut eleganter explicat Dn. Rittersh. *lib.* 1. *c.* 2. *q.* 4.

§. *10.* Intuitu huius juris uſus & omnis legitima adminiſtratio rei feudalis Vaſallo eſt permiſſa *c. un.* §. *fin. in quib. cauſ. feud. amit.* 2. *F.* 23. *ibiq.* Dd. Abuſus verò diſpoſitio alienationem importans omnis eſt prohibita, ut patet ex *d. t. de prohib. feud. alien. per Lothar.* 2. *F.* 52. *& tit. de probib. feud. alien. per Frider.* 2. *F.* 55. Ratione uſus itaque habet Vaſallus jus & facultatem percipiendi & ſuos faciendi omnes fructus ex re feudali provenientes *c. un. an agnat. vel. fil.* 2. *F.* 45. *c.* 1. §. *his conſequenter. Hic fin. lex.* 2. *F.* 28. *arg. d. c. un.* §. *firmit.* 2. *F.* 55. Dd. ſupra allegat. idque omni diſtinctione remota

ſive

ſive naturales ſint ſive induſtriales. Rittershuſ. & Sonsbec. *dd. locis.* Horumq; omnium plenum nanciſcitur Dominium liberamq; adminiſtrationem, ita ut eos poſſit alteri vendere, aut quocunq; titulo alienare, *arg. l. neceſſario. §. fin. ff. de peric. & comm. rei vendit.* Jacobin. *verb. ita etiam quod ipſi Vaſalli. n. 15.* Curt. Jun. *part. 4. n. 06.* Matth. Col. *de proceſſ. execut. part. 2. c. 3. n. 120. & ſeqq.* Clar. *in §. feud. q. 31. n. 9.* Schrader. *part. 8. c. 1. n. 12.* Quid? Quod & in ſui præjudicium Vaſallus alteri in feudo uſumfructum conſtituere poſſit. Hartman. Hartm. *tit. de feud. obſerv. 18. n. 5. per c. un per & ibi Gloſſ. & Dd. de donat. int. vir. & uxor.* Matt. Col. *d. c. 3. n. 64. & ſeq.* modò ne cõſtitutio uſusfructus vergat in præjudiciũ Domini. Schon. *l. 1. diſp. feud. 9. θ. 6.*

§. 11. Ad fructus pertinent & acceſſiones rei feudales, vel incrementum feudi, de quo eſt text. *in c. un. §. ſi quis de manſ. ſi de inveſt. feud. controv. fuit. 1. F. 4.* ubi Feudiſta diſtinguit, an Dominus ſibi in feudo, Vaſallo tradito aliquid reſervaverit; an verò non? priori modo, incrementum pertinere ad Dominum, poſteriori ad Vaſallum. Nec diſtinguit hîc inter incrementum latens inſolitum, & latens non inſolitum, quam diſtinctionem ex Capyc. *de inveſt. feud. cap. Feudorum augmenta col. 2. §. limita quinto pag. 84.* affert Roſenthal. *tract. feud. c. 10. concl. 44. n. 30.* ſed absque ullo fundamento, quum textus hic loquatur generaliter. Incrementum itaque, ſi Dominus ſibi nihil reſervaverit, aut omne incrementum expreſsè Vaſallo conceſſum fuerit, ad Vaſallum pertinebit, ita, ut novâ & peculiari inveſtiturâ non ſit opus, ſive incrementum ſit latens, utpote, ꝙ per alluvionẽ prędiis feudalib; accrevit, aut per alvei mutationem illis acceſſit, ſive apparẽs, ut eſt Inſula in flumine nata ſicuti multis probat Dn. Bocer. in *tract. de jure & commod. Senior. & Vaſall. lib. 2. c. 4. n. 35. & mult. ſeqq.*

§. 12. Quid autem juris ſit in incremento induſtriali, quod ſumptu & opera Vaſalli quæſitum fuit, decidit Feudiſta *in c. un. §. econtrario. 1. de inveſtit. de re alien. fact. 2. F. 8. cuius hæc ſunt verba, ſi quid feudo à Vaſallo additum ſit: ſiquidem tale adjectũ ſit quod per ſe ſubſiſtere poßit, id eſt ut per ſe cenſeatur ut prædium: id non acceßit feudo. Si verò per ſe non poßit ſubſiſtere, ut ſervi's: pleriq; placet feudo accedere, & ſicut partem feudi diſponendũ eſſe;* ex quib. verbis deciſio quæſtionis patet, quod ſc. diſtinguendum ſit, an id ꝙ Va-

Digitized by Google

ſallus, ſuis ſumptibus propriis fundo feudali adjecit, per ſe ſubſiſtat, veluti prædium, an verò per ſe non ſubſiſtat, ſed extrinſecè acceſſerit, veluti caſtrū, molendinū, aut ſervitus prædio feudali adquiſita. Priori modo non acceſſit feudo, ſed pleno jure ad Vaſallum pertinet. Ratio hæc redditur ab Ampliſſ. Dn. D. Bitſchio in *prælect. publ. ad h. t.* quod in dubio non præſumatur, Vaſallum voluiſſe rem aliquam ſuam propriam & allodialem in clientelam Domini conferre, atq; ſe Dominio ejus privare. *arg. l. cum de indebito. 25. pr. ff. de probat.* Poſteriori autem modo quod feudo acceſſit, pro incremento aut feudi parte habetur, & jure proprietatis, ad Dominum, jure autem feudi ad Vaſallū pertinet. Quidquid enim in ſolo ædificatur ſolo cedit, & ad eum pertinet, cujus eſt ſolum. *§. in ſuo ſolo. 29. Inſt. de Rer. div. l. adeo. 7. §. cum in ſuo ſolo, & §. ex diverſo. ff. de acq. rer. dom. l. 2. C. de rei vindic.* Et meliorem conditionem feudi facere poteſt Vaſallus, non autem deteriorem, ut inquit Feudiſta *in d. §. econtrario.* vid. Dn. Bocer. *in d. tr. lib. 2. c. 4. per tot.* ubi plures quæſtiones, ad hanc materiam ſpectantes pulcherrimas ſolidè pertractat.

§. 13. Cæterùm quoad adminiſtrationem feudi legitimam, quâ Vaſallus feudo ſalvâ ejus ſubſtantiâ utitur, non minimum eſt, quod alteri feudum acceptum ſubinfeudare poſſit. *c. un. pr. verſ. ſi vero. Qual. olim. pot. feud. alien. 2. F. 9. c. un. §. beneficium. ſi de feud. defunct. cont. 2. F. 26. c. un. §. ſimiliter de Lege Corr. 2. F. 34.* quod feudum ita conſtitutum, Affterlehn dicitur: Idq; inſcio & invito Domino. *d. c. un. pr. verſ. ſi verò. 2. F. 9.* Hartm. Hartm. *tit. de feud. obſ. 37. n. 1. & 2.* Mynſing. *Cent. 1. obſerv. 62. n. 1.* Clar. *in §. feudum. q. 32. n. 1.* Hartm. Piſtor. *lib. 2. quæſt. 44. n. 1. & 2.* Schrader. *part. 8. cap. 2. num. 10. & 13.* Tria autem neceſſaria ſunt ut ritè fiat ſubinfeudatio. 1. ut fiat ei qui non deterioris, ſed paris eſt conditionis cum ſubinfeudante. *d. §. beneficium. ſi de feud. def. 2. F. 26. d. §. ſimiliter. de capit. Corr. 2. F. 34.* Mynſing. *d. cent. 1. obſ. 62. n. 2. & 4. verſ. deinde.* Borcholt. *c. 8. n. 51.* Intrigl. *quæſt. 53. num. 216. & ſeqq.* 2. ut fiat ſyncerè & ſine fraude. *c. un. §. ſed etiam. per quos fiat inveſtit. 2. F. 3. c. un. pr. verſ. ſi verò, ibi: quod & ipſum. qual. olim feud. alien. 2. F. 9. d. §. beneficium. 2. F. 26.* Modeſtin. Piſtor. *vol. 2. Conſil. 11. num. 69.* Intrigl. *d. quæſt. 53. n. 212.* Mynſing. *d. obſerv. 62. n. 4. pr.* 3. ut fiat iiſdem cōditionibus, ſub quib. ſubinfeudans à Domino feudū accepit.

pit. *d. verſ. ſi verò. 2. Feud. 9. c. unic. verſ. Callidis in ſuper. de prohib. feud. alien. per Frid. 2. Feud. 55.* Mynſing. *d. obſerv. 62. num. 4. verſ. deniq.* Hartman. Hartm. *obſerv. 37. num.* 2. Hartman. Piſtor. *d. q. 44. n. 4.* Weſenbec. *c. 11. n. 9.* Sonsbec. *part. 12. n. 94.* Vid. Ampliſs. Dn. Kohl. *in tract. de ſubfeud. c. 2. n. 2. & ſeqq. & n. 17. & ſeqq.*

§. 14. Sic etiam Vaſallo permittitur feudum alteri locare *c. un. §. donare. ibi, licet poſſet donare. qual. olim. feud. alien. potu. 2. F. 9.* Curt. *part. 4. num. 72. in pr.* Sonsbec. *part. 12. num. 83.* Weſenbec. *cap. 11. num. 7. verſ. ſed & ſi locare.* Borchold. *c. 8. num. 36.* Schrader. *part. 8. cap. 1.* Nec intereſt an ad modicum tempus, an verò ad longum locetur. *arg. l. 2. C. de præſcript. 30. annor. Novell. 120. cap. 3.* Textus enim generaliter loquitur; Dominoq; nihil nocet, quum hæc locatio, ſi ante finitum locationis tempus feudum Domino aperitur, expirat, nec tenetur Dominus locationi factæ ſtare. Schrader. *p. 8. c. 19. num. 9.* Cacheran. *Deciſ. 116. num. 9.* quid? quod locatio ad longum tempus alienatio non ſit. *l. non ſolet 39. ff. locati.* ſic etiam uſufructuario, ſine ulla temporis diſtinctione conceditur, jus ſuum alii locare. *§. minus autem Inſt. de uſu & habit.* Quod tamen tunc demum procedit, ſi animus fraudulentus abſit, qui & præſumitur ex eo, quando non juſta ſed vili mercede locatio facta ſit, uti patet ex *d. §. donare. 2. F. 9.* Dn Rittershuſ. *part. feud. lib. 2. cap. 3. quæſt. 36.* Ruding. *lib. 1. var. lect. cap. 53.* Pinel. *in l. 1. C. de bonis mater. p. 3.* Weſenbec. *in parat. ff. locati.* Connan. 7. *Comment.* 10. vid. Dn. Bocer. *in d. t. lib. 2. cap. 6. num. 146.* ubi pluribus hanc quæſtionem examinat, ſimulq; plures modos tractandi feudum Vaſallo permiſſos refert & pertractat.

§. 15. Deniq; Vaſallo ex hac obligatione etiam hic effectus venit, quod ſicut Vaſallus Domino, ſic vice versâ, Dominus Vaſallo obligatus eſt, ad ea omnia quæ Vaſallus Domino præſtare tenetur. *c. unic. in fin. de form. fidel. 2. F. 6. ibiq.* Alvarott. *num. 6. &* Bald. qui hunc textum Dominis terribilem dicit. Gail. *lib. 2. obſerv. 34. num. 3.* Jaobin. *in verb. & promiſerunt. num. 29.* Hartman. Hartm. *tit. de feud. obſerv. 40. num. 2.* Hartm. Piſtor. *part. 1. quæſt. 15. & 16.* Schrader. *part. 6. c. 7. num. 1. & 2.* Vult. *lib. 1. cap. 10. num. 37.* Certi tamen caſus ſunt, in quibus Dominus & Vaſallus ad paria non judicantur, quos recenſet Afflict. *Deciſ. 265. num. 2.* alioſq; notat.

Alvarott. *in c. un. verſ. & cum datur. not. 2. de conſuet. rect. feud. 2. F. 33.* qui videndi ſunt. Et tantum etiam de effectu.

THEOREMA XI.

Cognationem quandam cum hac fidelitate alunt, fidelitas ſubjectionis, familiaritatis vel Domeſticitatis, protectionis pactitiæ, & Confœderationis; quæ tamen inter ſe differunt.

EXEGESIS.

§. 1. PRogredior ad affinia fidelitatis Vaſallaticæ, quæ ſunt fidelitas ſubjectionis, familiaritatis ſeu Domeſticitatis, protectionis pactitiæ, & cõfœderationis, Quæ omnes in eo cõveniunt, quod ſicut in fidelitate Vaſallatica, ſic etiam in his, exuberantior fides, quã in aliis negotiis, requiratur; unde & omnes nomẽ fidelitatis retinent, & tàm ſimpliciter, quàm juratò promittuntur, prout in Vaſallatica. Sicut & in eo, quod nõ minus honorare debet ſubditus Principẽ, Conſiliarius Dominũ, Cliens Patronũ, Socius Dominũ cõfœderatũ, atq; Vaſallus Seniorẽ; Magnã tamen inter eas eſſe diſcrepantiam, & multis inter ſe differre modis, ex ſequentibus patebit.

§. 2. Nam quod attinet fidelitatem ſubiectionis & juramentũ eius, quod ſubditi Magiſtratui ſuo, ratione ſubiectionis, præſtant, & Germanicẽ, Erb vnd Landthuldigungs pflicht vocatur; conſtat, illud à fidelitate Vaſallatica quã longiſſimè diſtare. Primo enim ſubjectionis fidelitas, perſonam jurantis eiuſdemq; ſubiectionem concernit, ideoq; perſonale eſt & ratione perſonæ ſuę præſtatur. Vaſallatica autem quæ reſpectu beneficii feudalis, principaliter exigitur, realis eſt, Matth. Steph. *de juriſdict. lib. 2. part. 1. c. 7. n. 225.* Deinde illà ſubiectio promittitur & obedientia, Gehorſamb getrew vnd hold zu ſein; Hac verò nulla ſubiectio, ſed ſaltẽ fidelitas, Getrew/gewertig vñ hold zu ſein pollicetur. *c. un. qual. jur. Vaſall. ibi, ſicut debet eſſe Vaſal. F 5.* Gail. *de Areſt. Imper. obſerv. 7. n. 10. & 11.* Unde etiam juramentum, ſubjectionis fortius ligat ſubditos, quã Vaſallagium Vaſallos. Knichen. *de ſublim. & territ. jur. c. 3. n. 102.* Roſenthal. *c. 5. concl. 78. n. 5. & c. 6. concl. 85. n. 6.*

85.n. 6. Gail. *d. l.* Ita ut ſubditus perſonaliter vel in propria perſona; Vaſallus etiam per Procuratorem fidelitatem præſtare poſſit. Gail. *d. obſerv. 7. num.* 11. Matthias Steph. *d. cap. 7. num. 230.* vid. quæ habentur in *theorem. 3.* §. *19.* Tertio juramentum ſubiectionis tranſit in hæredes: Vaſallaticum autem minimè, ſed ſucceſſor Vaſalli licet pro ſe & ſucceſſoribus, fidelitatem juraverit, de novo Domino fidelitatem præſtare cogitur. Matth. Stephan. *d. cap. 7. num. 137. & ſeqq.* vid. Theor. 3. §. 12. Ex quibus ſatis pateſcit, juramentum & fidelitatem Vaſallaticã ab Homagio ſubiectionis quam longiſſimè diſtare, ita ut in quibuſdam locis rectè obſervetur, quod ſi quis unius eiuſdemq; ſimul ſubditus ſit & Vaſallus, utrumq; iuramentũ præſtare debeat, uti annotat Roſenth. *d. c. 6. concl. 85. n. 7.* videatur Maulius. *de Homagiis.* Dn. D. Bruningk. *in diſp. inaugurali de Homagio* ut & Georg. Ritter. *in diſp. inaugurali de Homagio.*

§. 3. Fidelitas Domeſticitatis, familiaritatis, vel officii, vernaculâ linguâ Dienſtpflicht maiorem cognationem habere videtur cum Vaſallatica. Eſt enim illa, quam ratione officii alicuius præſtant Domino Domeſtici, ut ſunt Cancellarii, Conſiliarii, Dapiferi, Pincernæ & alii, ſive in Domo Domini habitent, ſive extra eam, modo ſint in officio ipſius Domini. quemadmodum docet Vult. *lib. 1. c. 6. n. 6.* Huiuſq; reſpectu promittunt, quod vitam, membrum, mentem, id eſt, ſecretũ & rectum honorem Domini tueri velint, donec ſint in officio; quæ omnia etiam in fidelitate Vaſallatica quadantenus comprehenduntur, ut patet ex ſupra tradit. *theor. 7.* §. *3. & ſeqq.* Differunt tamen ratione obiecti, quod in Vaſallatica eſt res feudalis, pro qua fidelitas præſtari debet: aſſecurationis autem vel officii fidelitatis obiectum eſt officium, cuius reſpectu Domino ſuo ad fidelitatem ſeſe obligat officialis. Etiamſi à Domino ſuo nullum recognoſcat feudum, vel nulla etiam bona allodialia ab ipſo poſſideat. Nam quum nulla peſtis maior ſit quam familiaris inimicus & peſſimus nocendi artifex improbus domeſticus. Gloſſ. *in l. 2. in pr. verbo Domeſticis ff. ad Sc. Syllan.* & ut loquitur *c. ſi inimicus 1. diſtinct. 93.* Is, qui cum corpore videatur nobiſcum eſſe, mente tamen & animo contra nos eſt, multo nequior ſit hoſtis, quam ille qui foris eſt; hæc enim per amicitiarum ſpeciem, quæ inimica ſunt gerit; Ideò inventa fuit hæc fidelitas,

quæ

Digitized by Google

quæ vel ſemper juratò, raro vel nunquam ſimpliciter promittitur, præſertim in aulis principū, quò nocendi occaſio jurisjurandi religione compeſceretur, ſuſpicioq; evitaretur. Quare & ſolū ab officialibus præſtari debet, nec Dominus ipſis vice verſâ obſtrictus eſt, ut in Vaſallatica, ſicuti patet ex *theorem. præcedent. §. ult.*

§. 4. Patet itaq; ex hac diſcrepantia, maximè inter ſe differre fidelitatem domeſticitatis & Vaſallaticam, ut ita ſi Vaſallus, qui ob beneficium Seniori ſuo præſtitit juramentum fidelitatis, poſtea ab ipſo eodem ſuo Domino officio alicui præficiatur, nihilominus ille juramentum familiaritatis Domino præſtare teneatur, licet hoc uno juramento rectè explicari poſſit. *arg. l. accipientis 15. ff. de auctor. & conſ. tut.* Dd. *in c. unic. Qual. jur. deb. Vaſall. 2. Feud. 5.* Jacobin: d. S. Georg. *in verb. qui quidem inveſtit. num. 6.* SchneidWin. *part. 5. num. 66.* Vult. *lib. 1. cap. 6. num. 7.* Roſenthal. *cap. 6. concl. 86. num. 11. & 12.* Matth. Stephan. *d. cap. 7 num. 244.* quod etiam notat Gothofred. *ad d. c. unic. lit. g.* dum inquit: Quid ſi unus & idem Vaſallus, puta Domeſticus? utrumq; præſtare cogetur, niſi uno juramento, utrumq; juramentum explicare maluerit. Sed hoc uſu hodierno obliteratum eſſe, quod poſt præſtitum Vaſallagium, in familia noviter receptus Vaſallus, juramentum officii præſtare non cogatur; Quamvis, ſi ut Vaſallus feudum recognoſcat, & Domino fidelitatem juret, & jam tunc in officio eius ſit, utrumq; uno juramento expediri ad huc in viridi ſit obſervantia, docet ex prælect: de hac materia publ. Ampliſs. Dn. D. Lucæ Beckman. Præceptoris mei olim p. m. colendiſſimi, JCti celeberrimi & in praxi & aulis Principum exercitatiſſimi. Dn. Melaſs. *in d. coll. de fid. Client. Diſp. 5. th. 13. lit. B.* Si tamen hodierna tempora conſideremus, meritò omnia in priſtinum uſum eſſent revocanda, eſt enim ſeculum hoc ita fide nudatum, ut meritò jam conqueri poſſemus, fidem evanuiſſe in auras, ſicuti verſiculi noſtro idiomate ſcripti indicant:

Da die Trew ward new geborn/
Kroch ſie in ein Jägerhorn/
Der Jäger blieſs ſie in den Windt/
Daher man keine trew mehr findt.

Et

Et cum Lipſ. *cent. ad Belg. epiſt.* 100. raram per hæc tempora fidem eſſe, atque eam citra verba ferè conſiſtere.

§. 5. Sic etiam conſtat, multum diſcriminis eſſe inter fidelitatem noſtram & clientelarem ſeu protectionis pactitiæ, quam advocatis ſeu Patronis (qui aliàs Vögte/Schutzherren/Schirmherren/Pfleger/Vice-Domini, Vitzthumb appellātur Waremund. ab Erenb. *de fœder. lib.* 2. *c.* 4. *n.* 13.) ſpondent clientes. Poſtquam enim iſti ſe tutelari præſidio clientes ſuos eſſe protecturos, promiſerunt: Hi rurſus illis pollicentur, ſe protectores ſuos reverēter eſſe habituros; quæ verba cum nihil aliud importent, quam reverentiæ ſtipulationem; unde & clientes à colendo quaſi colentes dictos eſſe putat. Connan. *Comment. c.* 7. *n.* 1. In eo advocatiæ fidelitas cum fidelitate Vaſallaticæ convenire videtur, ſiquidem & hæc reverentiam Domino debitam in ſe continet: Et Vaſalli etiam clientes vocantur *in c. un. ibi, clientuli poſſeſſorū feudi,* & ibi, *niſi clientulus ſit. de content. int. Domin. & fidel.* 1. *F.* 10. *& c. un. princ. de alienat. Feud.* 1. *F.* 12. Differunt tamen in pluribus. Nàm primò objectum earum eſt diverſum, præſtatur enim clientelaris non alio, quam protectionis reſpectu, nec quicquid aliud pro fidelitate ſua accipiunt clientes, quam quod Patroni ipſos, quando militiā obruuntur, defendant, & ab injuriis aliorum protegant; Fidelitas autem Vaſallatica præſtatur, ut & ſupra dictum, reſpectu bonorum feudalium, in quibus Vaſalli habent uſum fructum.

§. 6. Deinde differunt etiam effectu. Patroni enim in clientes nullam habent Juriſdictionem. Nuda quippè protectio nec juriſdictionem alicui tribuit, nec ſuperiorum juri præjudicat. *text. in c. recepimus in fin. X. de privil.* Schurff. 3. *Conſ.* 23. *n.* 3. 4. *&* 12. Gail. *lib.* 2. *obſerv.* 54. *n.* 1. *&* 4. Buxtorff. *ad A. B. concl.* 99. *lit.* F. Ampliſſ. Dn. D. Cluten. *in ſyllog. rer. quot. concl.* 27. *lit. f. circa fin.* Siquidem ſub protectione eſſe, non eſt ſub juriſdictione eſſe, ſed ſub defenſione facti ab injuriis & violentiis. Alber. Gentil. *de jur. bell. lib.* 3. *c.* 16. *poſt. princip.* Gylman. *in Symphorem. ſupplicat. tom.* 1. *part.* 1. *tit.* 6. Reinkinck. *de regim. ſecul. & Eccleſ. lib.* 1. *claſſ.* 5. *c.* 4. *num.* 27. *&* 28. Ritter. *in diſſert. de homag. ſubject. c.* 1. *concl.* 35. Unde vulgò dicitur, Advocatum vel defenſorem Eccleſiæ non eſſe

Digitized by Google

de ſtat. Monach. Senior autem in Vaſallum aliqualem ratione feudi conſequitur juriſdictionem, ut ſupra Theorem. 10. §. 2. dictũ eſt. Et quamvis Vaſalli Clientuli inſup. adduct: textibus vocitentur, nõ tamen ibi vocabulũ cliens ſumitur propriè, ſed καταχρηστικῶς & abuſivè. Clientes enim non habent onus militiæ, ut Vaſalli qui militare coguntur. Illi poſſident prædia & bona ſua pleno jure; Hi autem prædia feudalia, ſaltem ratione uſusfructus. Clientes Patrono, Vaſalli Dominis, qui & ſeniores vocantur, reſpondent. Hattyll. *in Analyſ. jur. feud. c. 1. lit.* C.

§. 7. Non minorem affinitatem cum Vaſallatica alit fidelitas confœderationis, ita, ut & quidam feudi denominationem à fœdere petant. ut ſunt Thom. de Marin. *tract. de feud. tit. 16. de feud. ſine fidel. n. 3.* Bod *de Rep. c. 9.* ideò quod his verbis, literis ſeorſim expreſſis non cõtractis utebantur. F. E. D. V. M. Fidelis, ero, Domino, vero, meo, qua formula olim Vaſalli Vaſallagium præſtabant. Bodin. *d. l.* Waremund. ab Erenberg. *de fœderib. lib. 1. c. 3. n. 16.* Propterea quod inter Dominum & Vaſallum fœdus ineatur, ut ſibi maturum auxilium ferant adverſus hoſtem: Dicitur enim & fœdus Ennio ac Varroni fidus, à fide. eò quod fœdera publica, fidei publicæ ſanciendæ feriantur. Bodin. *lib. 5. de Rep. cap. 6.* Ideoque ſi inter inæquales fœdus contrahatur, ſpondet arbiter, ſe juſtis ſociorum rebus conſilio & opera adfuturum: Sociiq; jurant, ſe eius majeſtatem comiter eſſe obſervaturos. *l. 7. ff. de captiv. & poſtlim. reverſ.* Waremund. ab Erenb. *de fœder. lib. 1. c. 4. n. 3.* Quemadmodun itaq; in feudis exuberantior fides requiritur, quam in aliis privatis negotiis, ita pari ratione etiam in fœderibus major quam in illis fides exigitur. Warem. ab Erenb. *d. c. 3. n. 13.* Fides enim & par, ut loquitur Thucydides, mutuusq; metus fidelis eſt fœderũ cuſtos. Et ſicuti in feudis Dominus & Vaſallus, utrinq; ad mutua præſtanda auxilia obligantur: Ita & cõfœderatorũ principalis hæc eſt obligatio, ut cõfœderati, ſi bello premantur, aut aliis injuriis afficiantur, ad ea propulſanda, ſibi invicem mutua auxilia ferant. Confœderatio n. duorũ, unũ quaſi corpus conſtituit quoad defenſionẽ & auxilia. Gigas in tract. *de crim. laſ. Maieſt. Rubr. de rebell. lib. 3. q. 21. per tot.* Alb. Gentil. *de jur. bell. lib. 3. c. 18.*

§. 8. Licet autem hæc magna ſit convenientia, ut ferè hæc omnia etiam in fidelitate Vaſallatica conſiderentur. Certum tamen eſt, tantum differre fidelitatem Vaſallaticam à confœderationis fidelitate,

delitate, quantum ipſum feudum à fœdere. Etenim Quamvis feudum pactio quædam ſit inter Vaſallum &Dominum, de mutuo auxilio ferendo, contracta; attamen hæc non ſola eſt inſpicienda, ſed etiam in conſiderationem venire debet, cujus reſpectu talis pactio facta ſit, qui ratione confœderationis, præter mutui auxilii præſtationem, nullus eſt alius, ſed hujus intuitu tantum fœdera. pangantur. Fidelitas autem Vaſallatica non reſpectu auxilii ſaltem, ſed maximè pro re in feudum data præſtatur, ita ut ſi feudum à Domino Vaſallo non fuerit conceſſum, minimè Vaſallus Domino ſit obligatus. Quid? Quod non in omnibus feudis auxilia militaria debeátur, ut in Feudis Francis & ab omnibus ſervitiis liberis. Præterea ut ex protectione pactitia; ſic etiam ex fœderib. nulla oritur juriſdictio, quod maximæ receptæ teſtantur; veluti, fœderibus neminé ab ordinaria juriſdictione eximi. Ruland. *de commiſſ. p.* 4. *lib.* 2. *c.* 3. *n.* 2. nec ullam juriſdictionem transferri. Jacob. de S. Georg. *in verb. de adhærentibus & confœderatis. n.* 7. ſed gentem liberam manere. Bodin. *lib.* 5. *de Reb. c.* 6. *pag.* 909. Populus enim qui alterius ſuperioris Majeſtatem comiter conſervat, libertatem non amittit. *d. l.* 7. §. 1. *de captiv. & poſtlim. reverſ.* Quippè quod comiter obſervare Majeſtatem nihil aliud ſit quam benigne cõſervare. Cic. *in orat. pro Corn. Balb.* Kirchn. *de Rep. diſp.* 2. *th.* 1. *lit. b.* Daniel Otto. *de jur. publ. c.* 11. ex fidelitate autem Vaſallatica, aliqualem naſci juriſdictionem, ſupra traditum eſt. Quare liquet, etiam inter has fidelitates non parum diſcriminis eſſe. Et tantum etiam de Affinibus.

THEOREMA XII. & ult.

Contrariantur fidelitati Vaſallaticæ, cauſæ, tũ, fidelitatẽ, quo minùs juſto tẽpore præſtetur, impedientes: tùm eam prorſus deſtruentes, ut ſunt omnes cauſæ propter quas feudum amittatur.

EXEGESIS.

§. 1. TAndem ad contraria pervenio, quæ dupliciter conſide-

Digitized by Google

& deſtinato tempore, de quo ſupra Theorem. 9. dictum eſt, præſtari poſſit; vel quatenus ipſi ita contrariantur, ut planè eam deſtruant & in nihilum convertant. Priori modo conſideratæ, deſumi hæc debent ex illis, quæ inveſtituræ petitionem impediunt, & Vaſallo excuſationem pariunt, ne feudo ob intermiſſam inveſtituræ petitionem privetur. Cohæret enim fidelitatis præſtatio petitioni inveſtituræ, ita planè ut Feudiſta ſtatuat, ei, qui fidelitatem recuſat, non debere fieri inveſtituram. *c. un. verſ. nullo autem. per quos fiat inveſtit. 2. F. 3.* Quæ igitur cauſæ petitioni inveſtituræ remoras injiciunt, eæ & fidelitati obſtant. Et quamvis eæ tripliciter conſiderari poſſint, quod vel ex perſona Vaſalli, vel ex perſona Domini, vel extra has aliunde proveniant; Brevitatis tamen cauſa principaliores conſiderabimus, quæ exprimuntur *in cap. un. quo temp. miles. 1. F. 21.* & ſunt, Mors, capitalis inimicitia, Infantia, & juſta abſentia.

§. 2. Primum Impedimentum eſt mors. Quando videl. contingit, quod vel Dominus vel Vaſallus, ante anni & diei lapſum è vivis decedat, quo caſu annus & dies, intra quem fidelitas præſtetur, Vaſallo de novo conceditur, nec tempus ante mortem Domini aut Vaſalli præter fluxum ipſi eſt imputandum. *d. c. un. pr. ibi, veluti mortis. quo temp. mil. 1. F. 22.* Quia ſucceſſor Vaſalli ſuo proprio nomine, non illius mortui fidelitatem præſtet, quam etiam præſtare tenetur, licet mortuus Vaſallus eam antea præſtitiſſet, ut ita nihil commune habeat fidelitatis præſtatio à ſucceſſore facienda, cū ea quam Vaſallus defunctus facere debuerit; Ideoque nec tempus quod Vaſallo defuncto lapſum, ſucceſſori ejus imputari debet. *arg. l. 1. §. quibus. ff. de ſucceſſ. edict. §. fin. Inſt. de bon. poſſ. l. fin. C. qui admitti ad bonor. poſſ. l. cum in antiquioribus. C. de jur. delib.* Quæ ratio etiam valet in Domino; ſiquidem ea fidelitas, quæ mortuo Domino debetur, nihil commercii habet cum fidelitate ſucceſſori Domini facienda, ſed hæc ab illa maximè eſt diverſa. Nec Vaſallus hoc ipſo peccavit, quod ante mortem Domini fidelitatem non fecerit: annus enim nondum fuerat præterlapſus; mortuo igitur Domino, rurſus annum conſequitur; Schneidw. *part. 5. n. 43.* Curt. *part. 4. n. 51.* Borcholdt. *cap. 8. num. 8.* Mynſing. *Cent. 5. obſerv. 9. n. 4. & ſeqq.* Jacobin. de S. Georg. *verb. qui quidem inveſtit. num.* 34. Hartm.

Hartm.

Hartm. *tit. de feud. obſerv.11. n.14.* Schrader. *part. 5. c. 2. n. 69. & ſeqq.* Roſenth. *c.6. concl.45. n.2.* Id quod non ſolùm in veteri; ſed etiam in novo feudo, ſi certum tempus præſtitutum fuerit obtinet. Militat enim utrobiq; eadem ratio: E. & idem jus *l.illud.32.in pr. ff. ad L. Aquil. l. A Titio 108. in pr. ff. de V.O.* Sonsbec. *part. 11. n. 12.* Schrader. *d.c.2. n.71.* Vult. *lib.1. c.7. n. 86. verſ. hanc deciſionem.*

§. 3. Altera cauſa excuſationis, cuius fit mentio *in d.c.unic. quo temp. mil. 1. F. 22.* eſt capitalis inimicitia, quæ dupliciter conſiderari poteſt, vel reſpectu Domini, vel reſpectu Vaſalli. Illo modo conſiderata, excuſatur Vaſallus, quod non debito tempore fidelitatem præſtiterit, ſi hæc inter Dominum & Vaſallum fuerit orta. *d. c. unic. 1. F. 22.* Siquidem & hæc aliàs juſta cauſa excuſationis eſt de jure civili, *ut in l. licet u.l. non diſtinguemus. 32. §. cum quidam. 14. ff. de recept. qui arbitr. recep.* ut & in jure canonico *Clem. paſtoralis verſ. notorium. de ſentent. & re jud.* Valet autem hæc cauſa eo in caſu ſaltem, ſi citra Vaſalli culpã inimicitia ex orta fuerit. Ex ſua enim malitia, propter quam aliàs feudo ſe indignum reddit. *c. unic. §. 2. verſ. porro, quæ fuit prim. cauſ. beneſ. amitt.* 2. F. 24. *c. un. ibi, ut potius inimicus. Quod teſtes ſint neceſſ. 2. F. 57.* ſentiret commodũ. Quæ communis eſt Dd. opinio, cujus Patroni ſunt BaroSchenck. *in d. c. un. quo temp. mil. 1. F. 22. n. 1.* Sonsbec. *part. 11. n. 20.* SchneidWin. *part. 5. n. 45.* Vult. *cap. 7. num. 75.* Borchold. *c. 8. n. 15.* Roſenthal. *d. c. 6. concl. 53. num. 7.* Sed anne tunc per procuratorem feudum recognoſcere & fidelitatem promittere cogitur? dubio non caret. Quia enim metus ex inimicitia prognatus, ob quem Vaſallus Dominum tutò adire nequit, in procuratore ceſſat, dicendum videtur, quod hic nomine Vaſalli id facile expedire poſſit: ſed quum non ſolum metus, ſed alia etiam ratio huic excuſationi ſubſit, quam ſuppeditat Roſenthal. *d. concl. 53. n.* 4. quod ſcil. grave ſit, inimico, fidelitatis juramento divinciri: Exinde verior mihi contraria videtur eſſe ſententia, quam amplectuntur Alvarott. *in d. c. un. 1. F. 22. n. 15.* Vult. *d. c. 7. n. 75.* Roſenthal. *d. concl. 53. num. 5.*

§. 4. Reſpectu Vaſalli hæc excuſationis cauſa conſiderari poteſt, quod non teneatur juſto tempore fidelitatem jurare, ſi ipſe inimicitias capitales alat cum aliquo tertio, quatenus videl. ſecurus

Digitized by Google

re jud. arg. l. metus 3. ex quib. cauſ. maior l. 2. §. pen. ff. ſi quis Caut. in jud. c. ſtatutum. §. cum vero de reſcript. in 6. Sonsbec. *part. 11. num. 20.* Borchold. *cap. 8. num. 15.* Vult. *c. 7. num. 52.* Sylvan. *d. tr. quæſt. 44. num. 6.* Schrader. *d. cap. 2. num. 34.* Roſenthal. *c. 6. concl. 53. num. 6.* Hæc autem excuſationis cauſa tam à parte Domini quàm Vaſalli, tamdiu valida eſt, quàm diu inimicitiæ non fuerint reconciliatæ. Quamdiu enim durat cauſa propter neceſſitatem, tamdiu durat etiam indulgentia ob neceſſitatem conceſſa. *per l. 1. ff. de ſeriu. l. Titia. §. uſuras ff. de legat. 2.* Sylvan. *quæſt. 48. n. 2.* Vult. *d. cap. 7. num. 75. in fin.* Roſenthal. *d. cap. 6. concl. 54. num. 1. & ſeqq.* Ad hanc cauſam etiam iſte caſus reſpectu Domini referri poteſt, quo duo vel plures Domini heredes, de ſucceſſione eius inter ſe litigant, quæ etiam Vaſallo impedimento eſt, quò minus legitimo tempore fidelitatem præſtare poſſit. Nam quum Vaſallus ignoret, uter horum Domino ſit ſucceſſurus, fidelitatem omninò cogitur differre, donec conſtiterit, quis Domino defuncto ſuccedat. *arg. c. ſi verò extr. de jur. patron. l. ſi per luſorio 14. §. fin. ff. de appellat.*

§. 5. Tertia impedimenti & excuſationis cauſa iuſta, quæ in d. c. continetur, eſt infantia; quæ quidem de iure civili ſeptennio eſt circumſcripta *per. l. 1. §. ſufficit. 2. ff. de adminiſt. & peric. tut. l. ſi infanti. 18. pr. C. de jur. de lib.* de iure feudiſtico tamen uſque ad annum 14. completum extenditur. *arg. c. un. §. ſi minori, & §. ſi quis deceſſerit. ſi de feud. def. content. ſit. 2. Feud. 26. junct. c. unic. §. ſi quis in feudum. de prohib. alien. per Frider. 2. F. 55.* Poteſt autem & hæc cauſa tam Domini quam Vaſalli reſpectu conſiderari. Illius, quod Vaſallus Domino infanti, & tutorem non habenti, antequam pubertatis annum compleverit, fidelitatem præſtare cogi nō poſſit. *d. c. unic. verb. infantia. 1. F. 22.* ubi Dd. SchneidWin. *part. 5. num. 46.* Schrader. *d. c. 2. n. 31.* Roſenthal. *d. c. 6. concl. 40. n. 1.* Vult. *lib. 1. c. 7. n. 67.* Si verò Dominus tutorem vel curatorem habet, illi omninò ſunt adeundi, poſſunt enim nomine tutorio & curatorio feuda conferre. Curt. Jun. *part. 4. n. 56.* Schrader. Vult. Roſenthal. dd. ll. In perſona Vaſalli Infantia maioris eſt conſiderationis. Hic enim ſive tutorem habeat, ſive non, iuris privilegio à præſtituto tempore excuſatur. *d. §. ſi quis deceſſerit. ſi de feud. def. 2. Feud. 26.* Curt. Jun. *d. part. 4. num. 46.* Hartman. Hartm. *d. obſerv. 11. n. 15.*

Jacobin.

Jacobin. de S. Georg. *verb. qui quidem inveſtit. n. 50. & 53.* Sonsbec. *p. 11. n. 22.* Mozz. *de ſubſtant. feud. n. 43. verſ. tertio exprimit.*

§. 6. Ultima cauſa eſt abſentia, quæ etiam duplicem Domini & Vaſalli reſpectum recipit. Domini reſpectu Vaſallus ſemper excuſatur. *d. c. un. & ibi, Dd. quo tempor. 1. F. 22. arg. l. pecuniæ. 9. §. fin. ff. de Vſur. l. 1. §. dies. ff. quand. appell.* Schneidvv. *part. 5. num.* 14. Borchold. *cap.* 8. *num.* 19. *&* 20. Mozz. *d. l. num. 45. verſ. quintò* Jacob. de S. Georg. *d. verb. qui quidem. n. 52.* Schrader. *d. c. 2. n. 39. & ſeqq.* Curt. *part. 4. n. 49.* ſive juſta fuerit abſentiæ cauſa ſive injuſta *arg. d. l. pecuniæ. 9. l. cum quidam. 17. §. ſi pupillo. 3. l. paratum. 47. ff. de Vſuris. l. ſi fundus. 4. in fin. l. ult. ff. de leg. commiſſ. l. continuus. 137. §. illud. 4. ff. de V. O. l. Mævia. 13. ff. de annuis legat. l. in omnibus. 39. ff. de R. I.* Dd. *in d. c. un.* Jacobin. Curt. & antea alleg. dd. ll. Sylvan. *quæſt. 72. & ſeq.* Si tamen Dominus vicarium, ſeu procuratorem, ad fidelitatem recipiendam reliquerit, ut hodie ferè moris eſt, non excuſatur Vaſallus, ſi intra tempus definitum fidelitatem non præſtiterit. Siquidem eo caſu Dominus abſens non videtur. Gloſſ. *in d. c. un. 1. F. 22. argum. l. item ait prætor. 21. §. hac autem reſtitutio ff. ex quib. cauſ. major.* Jacobin. *in d. verb. num.* 54. Sonsbec. *part. 11. n.* 20. Schrader. *part. 6. c. 2. n. 40. in fin.* Vult. *d. n. 74. verſ. quod ſi tamen.* Schneidvv. *p. 5. n.* 39. Roſenth. *c. 6. concl. 50. lit.* I. quibus adſtipulatur jus Saxonicum. Lehnrecht *c. 50.*

§. 7. Abſentia autem Vaſalli tum demum excuſationem meretur, ſi non voluntaria & temeraria, ſed iuſta & neceſſaria fuerit, *arg. l. abſentia. 140. ff. d. Reg. Iur. l. 1. l. videl. 19. l. reipublicæ 36. ex quib. cauſ. maior.* Schrader. *d. cap. 2. num.* 41. Jacobin. *in d. verb. qui quidem n. 52.* Borchold. *cap.* 8. *n.* 19. Vult. *d. c. 7. n.* 47. Schneid. *d. p. 5. n.* 41. ubi hanc limitationem addit, quod abſenti tempus non currat, ſi ipſo abſente cœperit, quia nō debuit cogitare hunc caſum mortis Domini, adventitii enim caſus nō ſunt computandi. *l. Iulian. ff. qui & à quibus manumiſſi.* Et propter hanc iuſtam abſentiā Vaſallus ita excuſatur, ut ne quidem procuratoré mittere cogatur, qui ipſius nomine, fidelitatem præſtet. *arg. l. ſed & ſi per Prætorem. §. fin. ff. ex quib. cauſ. maior.* Borchold. *d. n.* 19. *Vult. d. c. 7. n.* 47. Schneidw. in. *d. num.* 41. Sonsbec. *part.* 11. *num.* 19. Et hæc etiam de quarta cauſa principali. Sunt quidem præterea plures cauſæ, Vaſallum

in un-

Digitized by Google

in præſtanda fidelitate impedientes & ob moram excuſantes, ſicut & reſtant eæ quæ fidelitatem prorſus extinguunt, ut ſunt cauſæ ob quas feudum amittatur. Sed ne modum diſputationis excedam, hîc pedem ſiſto.

Omnipotenti & Trin-uni DEO
Regi Regum & Domino Dominantium, cui omnes populi fidelitatem debent,

Sit Laus, honor, & Gloria
in
Infinita Secula.

527454

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE III
NAPOLI

Digitized by Google